J. rom. m.
386
0

Digitized by Google

J. rom. m. 386 o

IOANES SIGISMVND ZELLER LIB. BARO à GLEINSTETTEN
Bellinensis Suffraganeus
DOMINVS IN LEIBERSTORFF. EPISCODVS

ALEXANDRI ARNOLDI

PAGENSTECHER

C. in illustri GRONINGÆ & OMLANDIÆ Academia Juris Publici & Privati Professoris Ordinarii,

DE

PRÆSCRIPTIONE

Feudi Ecclesiastici, Lege Anastasiana, Vacca & Vitulo lactente, Pignore Contractu Consensuali, Quasi Contractibus vero consensu constantibus, & Tigno juncto:

Cum

Viro Excellentissimo

D. JOH. HENRICO BERGERO

JCto Witembergens. &c. &c.

COLLATIONES CATHEDRARIÆ.

Accedunt Orationes. I. De quarta Monarchia.
II. De Vita & morte Bockelmanni.
III. De Rapis.

COLONIÆ AGRIPPINÆ.
Sumpt. FRANCISCUM METTERNICH, Bibliopol.
Unter gölden Waagen/Anno M.DCC.

Prænobiliſſimis atque Ampliſſimis
Viris ac Dominis

MATTHIÆ ET JUSTINO
Germanis Fratribus
DE
RODENBERG,
JCtis & reſpectivè Conſiliariis
Brandenburg. Protonotar. Conſul. &c.
Avunculis meis honorandis

L. M. Q.

D. D. D.

A. A. Pagenſtecher.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

ANTICUM.

AT ecce, etiam Potentissimi Poloniarum Regis in Summo Provocationum Iudicio Consiliarius & Antecessor Vitembergensis Dn. Io. Henr. Bergerus, dignatus est Sicilimenta mea ad ff. measque de Iure Ventris Visiones, nec non Coitiones Irnerianas, censura sua, in Resolutionibus suis Legum obstantium editione novissima, honorare. Quàm vellem, nitidum hunc libellum maturiùs in manus meas venisset! Licuisset sane apologiâ pro fœtibus istis meis necessariam Benedictorum meorum libro unì subjunxisse. Subjunxisse, inquam: non ordinis ex dignitate competentis: sed temporis (quod & unicè in Benedictis meis spectavi) solius, quo Excellentissimorum septem Virorum censura mihi innotuerunt mihique ad eas respondendi ansa suppeditata fuit, respectu. Hac unicè ratione ultimus est, quem modò memoravi Amplissimus Bergerus. Cui eruditissimo Viro in e-

ditione Resolutionum suarum, ut dixi novissima, volupe fuit, super elegantioribus quibusdam Iuris articulis amica discordia mecum contendere. Ego tamen mea tuebor: & uti usque adhuc persuasissimus sum, sententias meas à Cl. Bergero impugnatas unicè veras esse, ita & in his judicium Lectoris candidum & imploro & expecto. Primum autem controversiis duabus, de quibus Dn. Bergerus in Programmate suo Resolutionibus sub Littera C. annexo contra me disserit, locum dabo, tum quod Programma tempore Resolutionibus prius sit, tum ut id detur honori illustris Strykii, cujus ibidē res simul agitur. Sit ergò missis ambagibus.

QUÆSTIO PRIMA:

An Feudum Ecclesiasticum quadraginta annis præscribatur?

Affirmavi, per rationem, quoniam res Ecclesiæ 40. annorum præscriptione acquiruntur. Ergò & Feudum Ecclesiasticum. Ratio c onsequentiæ: quoniam Feudum est dominium utile. At hoc est res, & quidem res utilis. Ex his fit talis syllogismus. Omnis res Ecclesiæ quadraginta annorũ præscriptione acquiritur Dominium utile est res Ecclesiæ

clesiæ. Ergò. Amplissimus Bergerus negat minorem. (1.) quoniam non fuerit ea sententia Imperatoris Justiniani in capite præscriptionis rerum ad sacrum cœtum pertinentium quadragenariæ. (2) quoniam utile dominium sigillatim rem dici in Jure fando inauditum sit. (3) quod accidens, cujusmodi est dominium utile, res non dicatur. Sed, pace Viri Amplissimi, hæ ejus Viri rationes parum justæ videntur. Age sis, inspiciamus singulas. Et primam quidem quod attinet, cur non fuerit Justiniani, quæso, mens de utili quoque dominio ibidem sensisse? Audiamus Dn. Bergerum: *Regula*, ait, *Iuris Romani est: res immobiles usu decem vel viginti annorum capiuntur. A qua excipiuntur res Ecclesiæ. Regula de acquirenda plenâ proprietate intelligitur. Pari igitur modo exceptio intelligenda est, ut locum probæ exceptionis tueatur.* Verùm in eo fallitur Vir Amplissimus strenue, quòd regulam Justiniani jam memoratam duntaxat de acquirenda plenâ proprietate intelligat: cùm Justinianus eandem etiam de rerum incorporalium præscriptione intellectam velit. *l. ult. inf. C. de long. temp. præscr.* Atqui utile dominium res est incorporalis. Ergò utile dominium usucapietur instar rerum immobilium. *d. l. ult. in fin.*

fin. consequenter, si ex sententiâ Justiniani dicta regula comprehendit res incorporales, comprehendet & dominium utile. Consequenter, cùm Justinianus à regula sua excipit res Ecclesiæ, excepit & res Ecclesiæ incorporales : cum & has sub regula sua voluerit esse comprehensas. Ut consequenter exceptio comprehendens res etiam incorporales, legitimæ exceptionis locum respectu dictæ regulæ tueatur. Quod (2) Ampl. Bergerus asserit, id nollem ipsi excidisse. Quæso enim, an res incorporales non sunt res, & sigillatim res dicuntur? Quæso, quid vult sibi Titulus Institutionum de REBUS corporalibus & incorporalibus? Utilis dominii phrasis, fateor, ibidem sigillatim non apparet : adest tamen ususfructus, qui utilis quoque dominii, si tale agnoscendum est, speciem exhibet. *l. 8. pr. ff. de reb. jud. aut. poss. l. 4. ff. de usufr.* Saltim utile dominium rei appellatione venire, inde sequitur, quod rei incorporalis vocabulo certissimè comprehendatur. At res incorporales etiam in materia præscriptionis sigillatim res vocantur. *d. l. ult. in fin.* Denique & id quod (3) adducit Dn. Bergerus, valde legibus inimicum est. Ecce enim : Servitutes sunt *qualitates* prædiorum *l. 86. ff. de V. S.* & tamen propriè

RES

RES sunt *vid.t.1.de reb.corpor. & incorpor.* Hæc sufficiant, Lubet tamen Amplissimo Viro in memoriam adhuc revocare legem Longobardicam Lindenbrogio laudatam *lib.2.tit.35*, Lex auctore Aistulffo Rege ita habet, cujus ipse mentionem facit: *Et loca venerabilia inter se de REBVS quibus libet per 40. annorum possessionem excludantur.* Ethic voce rerum utile comprehenditur dominium. Quod & ipse Ampliss. Bergerus agnoscit, dum dictis legis Longobardicæ verbis subjicit. *Quibus quidem verbis*, inquit, *non de allodio solum, sed de feudo maximè, utpote argumento Longobardorum proprio, Aistulphus Rex sensisse omnino censendus est. Quare cùm in præsens certo constitutoque jure utamur, frustra, rationibus undecunque conquisitis, utri sit accedendum sententiæ, laboramus.* Ultimis his verbis Amp. Bergerus intelligit sententiarum divortium, quod inter Excell. Stryckium & me super hac re intercedit, de quo *Benedict. collat. 1.* Ampl. Bergerus amplectitur sententiam communem, quam & ego sequor: adeoque etsi sentiat mecum contra Exc. Stryckium in thesi, vult tamen Exc. Stryckium tutari contra rationem meam nunc visam. Quam bene tutatus sit, judicet Lector cordatus & candidus. Interim

nec

nec dicta lex Aistulffi continet jus certum constitutumque *generale*, cũ dicat : *inter se.*

QUÆSTIO SECUNDA.

An actionis Venditor, qui à cessionario inductus bona fide actionem infra pretium cessit, actionem suam salvam retineat ad residuum?

In ipsa thesi affirmativè decidenda inter Ampliss. Virum & me nulla discordia est. Sed laboratur de ratione decidendi. Ampl. Vir dixerat: *quod cessio hujusmodi quod ad superfluum potestate juris pro infecta habeatur.* Mihi hæc ratio non satisfacit Et qui possit? Etiam casu contrario, quo scilicet venditor caruit bona fide & cũ emptore sive cessionario in fraudem legis colluserit, emtio quod ad superfluum respectu cessionarii potestate juris pro infecta habetur. Dixi: *respectu cessionarii.* Respectu enim *debitoris* pro facta habetur Quod autem in casu nostræ quæstionis, respectu *cedentis* pro infecta habeatur cessio, id uti adhuc in quæstione & lite positum est, ita malè pro ratione decidendi allegatur ne committatur petitio principii quam Logici vocant Sanè ex Lege Anastasiana

siana à Justiniano reformata idem arcessi nequit cum respectu cedentis, cessionem hoc casu, quæstionis scilicet, invalidam esse, lex Anastasio-Justinianea non asserat: sed aliunde, ut mox patebit, id petendum sit. Ratio ergo ex Lege Anastasio-Justinianea depromenda est, quòd cessio respectu cessionarii pro infecta habeatur. At hæc ratio in casu, quo cedens cum cessionario collusit, operari non potest, ut residuum penes venditorem maneat: ergo nec operabitur id casu quæstionis, cùm utroque casu eadem obtineat, respectu residui, actus nullitas. Ergo cum utroque casu venditio hoc respectu sit nulla, utpote contra legem inita: sequitur, rationem ab actus nullitate petitam aut in utrumque casum operari debere ex æquo, aut in neutrum. At posteriori casu operari nequit, ut residuum apud venditorem maneat, ergo nec priori id operari valebit. Hinc ego de ratione alia dispiciendum esse censens, quæstionis suprapositæ rationem decidendi arcessendam putavi ex *l. 7. & 8. ff. de jur. & fact. ign.* ubi error juris non nocet in damnis vel rerum amissione: at venditor casu priori versatur in damno amittendæ rei suæ erratque in jure: qui error casu posteriori deest. Adest, inquam, in bonæ fidei

emptore : Deest in malæ fidei collusore. Hanc rationem meam intactam relinquit Ampl. Borgerus, & sane quid ei opponeret ingenuus ICtus ? Sed delabitur Vir Egregius ad rationes alias, quas dictæ rationi casus posterioris respectu subjunxeram : quarum 1. est petita à possessionis commodo 2. quod factum unicuique suum non adversario debeat nocere. Priori opponit Vir Celeberrimus, quod hic non agatur de possessione pecuniæ, sed actionis. Immo contrà, Vir Amplissime: agitur de possessione pecuniæ, cùm agatur de hujus residuo. Vide: Actio antea competens, nunc respectu superflui sive residui est extincta, utpote quam cedens respectu sui jure libertatis, de quo §. *1. l. de jur. person.* sustulit : non potest ergò de possessione actionis ipso jure extinctæ atque sublatæ amplius disquiri, cùm non entis nullæ sint affectiones. Quo & lex *23.* §. *1. C. mand.* tendit, dum ait, apud eum qui cessit nihil *remanere*. Restat ergò, ut de possessione vel quasi non actionis extinctæ atque sublatæ, sed pecuniæ residuæ laboremus. Manet ergò ratio mea inconcussa, quâ dico, ideo reliquum cedere lucro debitoris, quoniam jus possessionis inter alia hoc est, quòd cùm de lucro duorum quæritur, melior conditio sit possi-

dentis. *l.126.§.2.ff.de R.I.* cui juhxi *l.33. eod.& §.4.vers.commodum.1.de interd.* & nunc addo *l.128.pr.ff.de R.I. & l.4.§.7.in fine ff.si servit.vind.* Cæterùm, cùm alii dissentientes lucrum contrà Legem Anastasianam reliquum manens fisco addicant, hinc rationẽ secundam supra indicatam meam subjunxi, non ut hæc operetur contra cedentẽ (huic enim rationẽ visam primam opposueram) sed ut debitorem tueatur contra fiscum. Dicere volo: etsi inter cedentem & cessionarium collusio intercedat, id tamen non debet eripere possessionẽ lucri debitori hujus collusiõnis ignaro aut nõ participi, cùm factũ unicuique suũ non alii nocere debeat *l. 155. pr. ff. de R.I.* Dico ergò, priorem rationem petitam ex *l.128.§.de R.I.& similib.* me opponere dissentientibus creditori faventibus: posteriorem verò ex *d.l. 155. pr. ff. d.t. cum similib.* opposuisse me fisci hac in parte patronis. Et judicet æquus Lector an non bene dixerim. Cœterùm ex superioribus & remissione mea ad Bockelmannum, quam feci *Manip. 2 ficilitent. num.157.* apparet, quatenus in quæstione, an Lex Anastasio-Justinianea ad venditiones non simulatas pertineat? cum Bockelmanno faciam. Excell. Bockelmannus *in comment. ad ff. tit. de*

her.

her. vel act. vend. §. 7. credit & ad veras venditiones Anastasianam legem pertinere. Idem & ego credo credidique semper. Antequam pergam, moneo Bockelmannum & me cùm de Anastasii Lege heic loquimur, non intelligere Legem Anastasii qualis fuit in ortu suo lata *l. 22. C. mand.* sed qualis postea adaucta & reformata fuit per Justinianum in *l. 23. C. d. t.* quemadmodum (ut à simili rem illustrem) SCtum Trebellianum non illud intelligimus, quod primiter Neronis temporibus factum est, de quo § 4. *I. de fidei commiss. hered.* sed prout à Justiniano §. 7 *I. d. t.* & adauctum & reformatum fuit, ita ut tamen respectu principii ceu partis potissimæ *l. 1. pr. ff. de O. I.* Trebellianum audiat. Eodem sentu Legem Anastasianam & nos intelligimus, &, nisi fallor, intelligit communis, etiam in foro, loquendi usus Nunc asserо cum Bockelmanno *d.* § 7. Legem Anastasianam sive Anastasio-Justinianeam, pertinere etiam ad venditiones veras, ita ut vēditiones etiam veræ hactenus effectum habeant, ut reliquum pretii debitoris lucro sit. Probo, non ex solo principio legis *d. 23. versic. generaliter.* sed vel maximè ex ultimis verbis dictæ legis 23. C. mand. ibi: *ut omne quod contrà Legem Anastasianam excogitatum*

tum est, hoc in posterum nostro perfruatur remedio. Ergo Lex Anastasii, quæ utique de venditionibus non simulatis intelligenda est, debet per *omnia* Justinianeo perfrui remedio. At quale hoc est remedium? Audiamus Justinianum *d. l. 23.* §. *1.* ibi: *omne quod superfluum est, inutile esse ex utraque parte censemus, & neque ei qui cessit actiones, neque ei qui eas suscipere curavit, aliquid lucri vel fieri vel remanere vel aliquã contra debitorem vel res ad eum pertinentes esse utrique eorum actionem.* His addi cupio verba §. ultimi *d. l. 23* ibi: *hoc remedium debitoribus impertiri.* Ex quibus, quodnam sit Justinianeum *remedium*, quod in memoratis verbis ultimis Justinianus legi Anastasii accommodavit per omnia, abundè constat. Quicquid ergò Anastasius olim senserit, lex ejus nunc remedio Justinianeo correcta est. Unde nec dubitandum est, quin Lex Anastasiana, ut nunc est, ad veras etiam venditiones extendenda & debitori lucrum indulgere censenda sit. Cùmque Ampliss. Bergerus ab Excell. Bockelmanno & me hac in parte, non ponderatis dexterè dictis ultimis legis Anastasianæ verbis, dissentiat: profectò, quod salvâ in omnibus Viri Ampliss. auctoritate dixerim, inaccuratius quæstioni

ab

ab ipso propositæ: *an si venditor à cessionario inductus bona fide actionē cessit, tū ille actionē suā salvā retineat ad residuum?* rationem decisionis affirmativæ indistinctè subjicit hāc, *quod cessio hujusmodi quod ad superfluū potestate juris pro infecta habeatur.* Sane hæc ratio pertinet etiā ad venditiones non simulatas. At in his Cl. Bergerus Legi Justinianeæ l. 23. C. mand. locum esse negat. Ergò, inquā, non debuerat hæc ratio indistinctè proponi. Cæterùm etsi cum Cl. Bockelmanno sentio, ut dixi: puto tamen hanc sententiam limitari debere, nisi cedens errore juris cesserit. Sed ut hæc limitatio non petatur ex ipsa lege Anastasiana, ne quidem reformata, sed ex aliis juris capitibus: quod in Jure novum non est *l. 26. ff. de legib.* §. *pen. l. de L. Aquil.*

QUÆSTIO TERTIA.

An vacca vendita, vitulus debeatur, si adhuc lactetur?

DN. Bergerus *resolut. leg. obst. tit. ff. de act. emt. vend. quæst. 8.* respondet negativè *arg. l. 65.* §. *fin. ff. de leg. 3.* Assentior huic negativæ: adeoque quod ad ipsam thesin nulla inter nos est discordia. Sed solliciti sumus

de

de responsionibus commodis ad leges duas apparenter obstantes, intellige *l. 10. ff. de precar.* & *l. 19. §. 7. ff. loc. cond.* Videamus primò, *d. l. 19. §. 7.* hujus verba sunt hæc: *si quis mulierem vehendam navi conduxisset, deinde in navi infans natus fuisset, probandum est pro infante nihil deberi: cum neque vectura ejus magna sit, neque his omnibus utatur, quæ ad navigantium usum parantur.* Ad hunc textum (veluti & ad *d. l. 10. de precar.*) semper respondi, à diversis non esse justam illationem, sive, à diversis nullam esse consequentiam Hinc à locatione (& precario) non valere sequelam ad emptionem. In tractatu meo de Jure Ventris part 3. vis. 5. dixi: *Respondeo* (ad d. l. 19. §. 7.) *Loquitur textus de locatione conductione, in qua contrahentium mens longè alia est quàm ementium & vendentium. Tractatur in d. l. 19. §. 7. casus quo fœmina prægnans, quam quis vehendam navi conduxerat, in navi parit: hoc casu pro infante merces vel naulum non debetur: pro infante (ait textus) nihil deberi: addita ratione, cùm neque vectura ejus (infantis) magna sit neque his omnibus utatur, quæ ad navigantium usum parantur. Quasi dicat, ex indole locationis conductionis id fluere, quæ mercedem usui vult adæquatam esse. Quæ Ulpianea ratio-*

cinatio

cinatio, etiam quando mater cum infante jam nato, cujus vectura magna non est, navigat, locum invenit. At verò hæc displicuerunt Dn. Bergero *d. loc. edit. noviss.* existimanti, ratione meam, quasi ex indole locationis id fluat quæ mercedem usui adæquatam exigit, parum sufficere: *quum alioqui* (vides ipsissima Dn. Bergeri verba) *pro alio levi homine navi impositio nihil solvi oportere, consequeretur: quod quidem Ulpiano in mentem venisse, vix quisquam crediderit. In tenui quidem tantus non est navis usus, tantaque vectura quantæ ingravi: usus tamen navis & vectura est; ac licet pro eodem non tanta sit præstanda merces quanta pro altero, aliqua tamen præstanda est, neque enim discrimen in gradu usus & mercedis, ipsam statim utriusque tollit substantiã.* Hæc D. Bergerus. At quis non videt in hisce pace Ampl. Viri dixerim confundi ea quæ sunt distinctissima. Textus Ulpianeus eique adnexa ratio, agunt de infante ad matrem quæ mercedem solvit pertinente: at Dn. Bergerus loquitur de homine ad alium mercedem solventem non pertinente. Illo casu merces ab infante non solvitur, ideo quod merces à matre solvatur: Hoc casu solvi debet, ideo quod alter non sit ad quem hic pertineat qui mercedem pro hoc præ-

stet.

stet. Ergò ratio decidendi in d. l. 19. §. 7. fundat se in natura locationis : quæ pertinentias mercedem solventium involvit, ita ut merces mercedem solventium pertinentias simul respiciat. Quod confirmatur textu eleganti altero *in l. 4. § ult. ff. nautæ caup. stab.* ibi : *Vivianus dixit, etiam ad eas res hoc Edictum pertinere, quæ post impositas merces in navē locataque inferentur, etsi earum vectura non debetur, ut vestimentorum, pœnoris quotidiani, quia hæc ipsa cæterarum rerum locationi accedunt.* Hic noto ultima illa: *quia hæc ipsa cæterarum rerum locationi accedunt.* Videmus utique, expresse in his ad naturam *locationis* respici. Hæc involvit pertinentias & accessiones: minime verò ea, quæ separata sunt. Hæc ratio etiam pertinet ad infantem, etsi à matre non lactetur. Ex quo planè concidit ratio Ampl Bergeri, dum ad d. l. 19. §. 7. ait, infantem ex sententia Ulpiani *per id tempus quo à matre lactatur*, unum idemque corpus cum matre æstimari. At ego nego, Ulpianū de matre lactante agere, nego de lactationis tēpore loqui, nego in lactatione rationem decidendi collocari. Sed ratio decidendi in d. l. 19. §. 7. junct. d. l. 4. §. ult. unicè in natura pertinentiarum aut accessionum ponitur, non in lactationis indo-

le. Et quæso quid si mater tum lacte destituatur, ut lactare infantem nequeat? quid si eundem ante paucos menses, dies, horas, ablactaverit? Hunc cum matre navigantem à mercede, solvenda absolvit ratio Ulpiani & Vivianiin d.l.19.§.7.&d.l.4.§.ult.nõ absolvit ratio D. Bergeri modo visa. In editione sane novissima etiam accessionis indolẽ hic considerauit Vir Ampl. Sed ita ad locationis indolem invitus delabitur, meamque rationẽ re ipsa admittit. Interim nescio, quomodo Cl. Vir conciliare hæc velit cum iis, quæ antea dixerat. Cùm enim antea negasset, vaccavenditavitulum deberi, si adhùc lactetur: addidit hanc rationem, *quia* (inquit) *quicquid nec in specie est venditum, nec rei venditæ pars sive accessio est, id emtori non debetur*. In his verbis *negat* Ampl. Vir, eum qui adhuc lactatur, esse partem sive accessionẽ matris lactantis. At hoc idem in editione novissima *affirmat*. Ego cum novissime affirmante Dn. Bergero sentio, quod ad materiam locationis, & mercedis conventæ naturam. Nunc inspiciamus alteram responsionem, quàm Cl. Bergerus ad d.l.19.§.7. connotavit. *Accedit* (inquit) *quod vectura solvatur pro impositis tantum rebus*. Quid? an infans in navi natus, navi non est impositus?

aut

aut an infans antea natus & nivis gestatus minus imponitur navi quàm sarcinula aliqua manibus in navim delata? Immo annon & homines majores natu mercedem solvunt? at non ponuntur in navim: sed ipsi ad eam & in eandem commigrant. Brevibus: ratio mercedis solvendæ vel non solvendæ non est investiganda in natura *impositionis*: sed *locationis* ejusque *accessoriorum*. Ita levissima sarcinula mercedem præstat si *sola* sit: sin ad alium mercedem solventem *pertineat*, libera à mercede permanebit. *arg. d. l. 4. §. ult. & d. l. 19. §. 7.* Sequitur ut nunc etiam dicamus de supra indicata l. 10. ff. de precar. Hujus verba sunt hæc: *Quamvis ancillam quis precario rogaverit, id actum videtur, ut etiam, quod ex ancilla natum esset, in eadem causa haberetur.* Respondeo ut supra, à diversis nullam esse consequentiam. Distinctissimam naturam esse venditionis & precarii. In memorato tractatu meo de Ventre hæc scripsi: *Respondeo, ex verbis textus, ibi:* id actum videtur, *in precario* (*uti supra in locatione*) *id AGITVR: non in venditione. Ratio differentiæ, quia in venditione venditori vitulus ex. gr. lactens usum præbere potest extra vaccam oppido quàm commodum: at si vaccā quis precario concedat, vitulus lactens*

non nisi oneri domino foret & beneficium ipsi esset damnosum contra sancitum legis 61. §. 5. ff. de furt. Contra hæc ita insurgit Ampliss. Berger. *d. loco: Equidem (inquit) hoc inventum Autori non invideo; illud tamen duntaxat moneo, prædictam l. 10. de solo accipientis non dantis, favore capiendam esse. Id quod, cum è verbis, tum è natura precarii evincitur. Pomponius, quamvis, ait, ancillã quis precario rogaverit, id actum videtur, ut etiam, quod ex ancilla natum esset, in eadem causa haberetur. Loquitur conceptis verbis de rogante, ejusdemque commodo, negotium ad natum ex ancilla profert. Tum precarium ipsum sui natura ita comparatum est, ut solius accipientis causa constituatur. Igitur rationem quamobrem vel vitulus lactens, vel partus ancillæ pariter ad accipientem transeat, à favore dantis peti posse vix cuiquam persuadeas. Neque verò est, quod partum ancillæ vitulumve accipienti inutilem futurum existimes, quia si quidem precarium ad illas accessiones extendatur, laxamentum aliquod temporis ex conditione rerum precario, licet per quandam saltem consecutionem, concessarum capiendum est. Nam tacita quadam convention hoc actum esse intelligitur, ut accipiens inde consequatur utilitatem, nec prætextu liberalitatis*

per

per revocationem intempestivam decipiatur, contrà L. 17. §. 3. commodati. Hæc Dn. Bergerus. At ego miror, hæc Viro Clariss. excidisse. Quid enim? confundit intentionem precario *rogantis*, cum intentione *utriusque contrahentis*. Textus, fateor, agit de *rogante*, sed agit simul de *utroque contrahente*. Verba enim *id actum videtur*: respiciunt *utrumque contrahentem*. Hinc etsi in precario agatur de commodo accipientis, agitur tamen simul de indemnitate dantis: quod & vel inde patet, quod precarium ex commoditate non rogantis sed dantis apud rogantem maneat, & à dante pro sua solius commoditate omni momento revocari & roganti invitissimo adimi possit. Ut, si verum excutias, precarium magis in commoditatem dantis quàm accipientis celebretur. Etsi enim accipiens solus interim utatur, non utitur tamen, nisi quatenus danti commodum est beneficium apud alium collocare, eique rei suæ custodiam commendare. Ex qua interiore precarii natura videtur & illud fluere, quod in precario accipiens non præstet nisi dolum & culpam latam. Etsi vel maximè largiar (veluti Dn. Bergero id hac vice concedere possum & largior) precarium solius accipientis causa

contrahi', non pugnat id tamen cum natura omnium contractuum beneficorum ; quæ vult officium suum nemini debere esse damnosum *l. 61. §. 5. furt.* quam etsi Legislator non expresserit claris verbis in d. l. 10. expressit tamen tacitè in verbis *id actum videtur.* Quin si nec in iis id innuisset, sciendum tamen est, Legislatorem contentum esse eo, quod id alibi expresserit §. *pen. I. ad L. Aquil. l. 26. ff. de legib.* Deinde, in ultima parte visorum verborum confundit Cl. Bergerus Commodatum cum Precario. Precario dantis voluntas ulli tempori ex. gr. quo vitulus adoleverit, non adstringitur: cum in precario nullo non temporis momento voluntas dantis sit ambulatoria. In Commodato, scio secus est: sed hoc hactenus nihil commune habet cum Precario. Sane illud laxamentum temporis, quod D. Bergerus in Precario statuit, nulla lege, credo, unquam probabitur. Pugnat cum natura precarii: Immo cum ejus forma & essentia. *l 12. pr. ff. precar.* Laxamentum tale temporis, quod ex rei natura inest, inducit commodatum, *vid.* Lanterb. *comp. ff. pag. 220. B. intus*, minime autem Precarium. *d. l. 12.*

QUÆ.

QUÆSTIO QUARTA.

Quær. An Pignus, ante rei traditionem, sit Contractus Consensualis Prætorius?

ITa statuo *arg. rubr. ff. junct. l. 1. pr. §. 1. & 2. ff. de pign. act. & l. 17 §. 2. ff. de Pact.* Aggreditur hanc sententiam Dn. Bergerus *resolution. edit. noviss. pag. 453.* scribens me parum præsidii invenire in d. l. 1. in verbo *contrahi*: *quum eo* (ita subjicit) *utatur Ulpianus æque ac Gajus in l. 4. ff. de pign. & hyp. atque adeo hac sententia, quod RES, non persona, obligetur, nam cum rem meam tibi obligo, id est, paciscor ut res mea tibi hypothecæ nomine obligata sit, id actum inter nos esse intelligitur, ut tu jus hypothecæ consequaris: non verò id quoque, ut tibi actio inde personalis competat adversus me ad rem tradendam: contractus Pignoris re perficitur. Igitur creditor, cum hypothecæ nomine pactus est, non ipsam rei possessionem affectabit, sed eidem jus in re, quod inde obtinuit, facile sufficerit. Neque Prætorem hoc loco pacto nudo hanc quoque vim dedisse, usquam legimus, ut ex eo actio ad tradendum veniat. Neque video, quamobrem eo casu cum res aliena pignori traditur, in subsidium vocanda sit a-*

ctio Prætoria, cum in promtu sit illa civilis. actio Pignoratitia Contraria, quam tot locis l. 9. pr. l. 6. §. 1. l. 32. l. 36. §. 1. pign. act. comprobatam esse constat. Hactenus *D.* Bergerus *d. loc.* Verùm nullatenus percepit Vir Cl. mentē meam: neque enim unquam existimavi aut scripsi, rem in specie obligatam si placuerit paciscentibus ut tantum hypothecæ sit, actione Pignoratitia peti posse, ut creditori tradatur: id enim foret contra pacti placitum *v. l. 1. §. 2. ff. de pact.* Verùm hæc sententia mea semper fuit, actionem Pignoratitiam dari ex Pignore Consensuali Prætorio: si conventum fuerit rem aliquam in pignus dari inceps debere. Sume. Mutuos tibi do aureos mille, addita lege ut tecum deliberes de re aliqua idonea mihi pignori obliganda, re illa in specie non expressa, sed tamen ut rem aliquam postea, finge intra octo dies proximos, determinandam mihi pignori tradas. Finge te cessare in designanda hac re. At qua actione te compellam? Non utique Serviana vel Quasi. Qua ergo? an nulla? Immo Pignoratitia ex contractu Prætorio consensuali oriunda. Hoc simileve exemplum semper collocavi ad demonstrandam naturam Pignoris consensualis Prætorii

mo-

monendo, inquam, rem in specie non designatam aut expressam, sed pignus in genere, primiter in genere, ast postea in specie designandum, appromissum fuisse. Quid si nunc ulterius provehar, sententiamque meam extendam & ad casum, quo res in specie pignori tradenda promissa est, ut ea pignori, inquam, sit, non hypothecæ! Sane hoc casu contra expressum pactum hypotheca induci nequit *arg. l. 1. §. 2. ff. de pact. l. f. C. de neg. gest.* & qua tamen actione rem pignori mihi tradit petam? Pignoratitia scilicet ex Prætorio Consensuali Pignoris contractu oriunda. Pergamus Si rem alienam pignori dederit debitor, quæro, qua actione ad rem propriam pignori dandam creditor debitorem possit compellere? An ad hoc utetur Actione Pignoratitia Contraria? Ita existimat Dn. Bergerus *d. loc.* per *l. 9. l. 16. §. 1. l. 32. l. 36. §. 1. ff. de pign. act.* At ego nego & pernego, Actionem Pignoratiam Contrariam ad id competere, ad id, inquam, ut debitor per dictam actionem Contrariam Pignoratitiam adigatur rem aliam pignori dare: nego, id in dictis aliisve Juris nostri textibus contineri: quin aperte statuo, Actionem Pignoratitiam Contrariam hoc casu dari in id, quod interest: *in quam*

actionem veniet, quod interest creditoris, ait *l. 54. ff. de fidejussorib.* Ut supersit, ad petendam rem pignori dandam aliam, creditori nullam supereſſe actionem nisi supra memoratam Actionem Pignoratitiam ex Pignore Consensuali Prætorio oriundam. Dari autem Pignus consensuale Prætorium, & actionem ex eodem Pignoratitiam in sensu acquisitivo, ut dixi, probatur ex supra allegatis textibus. Videamus primo verba *l. 1. pr. ff. de pign. act.* & sunt hæc: *Pignus contrahitur non sola traditione, sed etiam nuda conventione, etsi non traditum est.* Ecce, agitur hic de *Pignore* primum *quod traditione contrahitur*: quæro, an hoc non omnium consensu sit verus contractus, & an non ex eodem detur Actio Pignoratitia? id nemo utique negaverit. At tale Pignus vult textus etiam contrahi nudâ conventione cum res non traditur. Eo igitur sensu quo Pignus ibidem accipitur pro contractu, re tradita: eodem etiam sensu, ibidem Pignus esse debet contractus re non tradita. Hactenus scil. ut utroque casu ex utroque detur actio Pignoratitia. Quod confirmatur, *secundo*, ex *d. l. 1. §. 1.* in verbis immediate principio subjectis: *Si igitur*, inquit textus, *contractum sit Pignus nuda conventione*

tione. Ex quibus inter se collatis patet, contractum pignoris esse duplicem, unum ubi traditur res: alterum quo non traditur. Et ex utroque dari actionem pignoratitiam, apparet, tum ex dictis, tum, *tertio*, ex eo quod dicti textus immediate Rubricæ pandectarum *de Pignoratitia Actione* subjecti sunt. Nunc, *quarto*, ad indicandam pignoris Consensualis naturam sitam in sensu *acquisitivo* (nam pignus Reale est pignus in sensu *recuperativo*) subjicit textus in d. §. 1. l. 1. hæc verba: *Videamus, an si quis aurum ostenderit, quasi pignori daturus, & æs dederit, obligaverit aurum pignori? & consequens est, ut aurum obligetur, non autem æs quia in hoc non consenserint.* Quæso, quid volunt hic illa: *& consequens est*? Ex quo quæso id *consequitur*? Aurum scil. obligari, non æs: unde id consequitur? Atqui æs *est traditum*: aurum *non est traditum*. Sed ratio est in textu, quoniam in illud *non consenserunt*: In hoc *consenserunt*. At hoc casu dari actionem pignoratitiam, uti ex dicti fluit, ita firmatur, *quinto*, ex eo, quod in casu opposito, in d. l. 1 §. 2. datur locus Actioni Contrariæ, quæ adeo in casu §. primi locum non invenier. His accedit, *sexto*, textus in *l. 17. §. 2. ff. de pact.* ubi Paulus

lus ait: *De Pignore Iure Honorario nascitur pacto actio.* Loquitur textus de Pignore, non de Hypotheca: quæ uti in Jure crebrius distinguuntur, differuntque: ita & in d. l. 17. §. 2. different, & alterum ab altera distinguetur *arg. l. 3. seqq. ff. de legib.* Sane in d. l. 17. §. 2. de Jure aliquo in re, de hypotheca inquam, agi nemo credet qui integram dictam legem, totumque *fere* de Pactis (cui d. l. 17. §. 2. inserta est) titulum de Jure obligationis agere, perspexerit. His accedat, *septimo*, ratio legalis in *l. 1. pr. ff. de pact.* ibi: *quid enim tam congruum fidei humanæ, quàm ea quæ inter eos placuerunt, servare.* Cui generali legi tamdiu standum est, donec exceptio probetur. Hæc, inquam, septem sibi conjuncta, non dubito quin sententiam meam, eo sensu, quo explicui, quo nempe de re creditori tradenda actum est (sensum acquisitivum vocant) satis abundeque stabiliant.

QUÆSTIO QUINTA.

An dentur Quasi Contractus vero consensu constantes? in specie, an eo spectet Donatio?

Affir-

AFfirmo per ea quæ latius deduxi 2. *siciliam.* 50. Ast & huic sententiæ meæ opponit se Cl. Bergerus *resolut. edit. novissi. pag. 414.* ubi opponit (1.) Donationem esse pactum legitimum: at pactum legitimum Prudentes perpetuo à quasi contractibus distinxisse. Respondeo 1. textus ita distinguentes esse incognitos: adeoque comiter à Celeberrimo Viro posco, ut istos Prudentes mihi indicet. Respondeo 2. si vel maxime Prudentes Pacta Legitima à Quasi Contractibus perpetuo distinxissent (quod tamen nego,) ex Justiniani tamen Jurisprudentia omnia Pacta Legitima Quasi Contractibus annumeranda esse, ut demonstravi *d. num. 59.* ut concludere nequeas: Donatio est Pactum Legitimum, ergo non est Quasi-Contractus. Sed contra hoc modo argumentari debeas: Donatio est Pactum Legitimum, ergo est Quasi-Contractus. Probo consequentiam. Ubicunque obligatio est efficax, non oriunda ex vero contractu, nec ex facto in maleficium vel quasi incidens, ibi est Quasi Contractus. Atqui in Pactis Legitimis est talis obligatio. Ergo, probo majorem per *pr. l. de obligg.*

lig. quæ quasi ex contr. nasc. §. 2. §. 3. §. 6. *I. eod.* Minor dubio caret: nisi quis opinari velit, donationem esse verum contractum, ideo quod constet vero consensu. Ast ego nego, solum verum consensum efficere verum contractum: cùm alias omnia pacta nuda essent veri contractus, quod absurdum. Hinc ut verus consensus efficiat verum contractum, requiritur, ut vero isti consensui accedat nomen vel causa At Donationi (cæteriſque pactis Legitimis) deest & nomen & causa. Ergo Donatio non est verus contractus. Ergo & pacta Legitima quæcunque, etsi vero consensu constantia, non erunt tamen veri contractus, cum desit illis & nomen & causa. (2.) Ait Dn. Berger. *d. loc.* descriptionem Justiniani titulo Institutionum, *de Obligationibus, quæ quasi ex contractu nascuntur*, contentam, animum legentis explere non posse, quum magis eo (*inquit*) quid quasi contractus non sint, quàm quid sint, collineet. At ego persuasissimus sum, unumquēq; qui dictum titulum Institutionum inspicere velit, quasi contractuum naturam exactissimè & in quo ea consistat exactè descriptam plene deprehensurum. Videbit 1. requiri positivè, ut obligatio substantiam

tiam cœperit. *vid. pr. I. d. t. de obl. q. q. ex contr. Confer. §. 2. 3. 6. I. eod.* tum 2. ut hæc obligationis substantia non sit proprie ex contractu, nec 3. ex maleficio. *dd. textib.* Ex his concludit Justinianus: ibi semper esse Quasi-Contractum, ubi illa tria concurrunt. Ex. gr. Tutela est Quasi-Contractus. Cur? quæso. Justinianus doceat: quoniam in Tutela tria ista conspicua sunt *d. §. 2 d. t.* Si hæc ratio argumentandi legalis est: quæso cur legum cultores eandem non sequantur? si hæc ratio est legalis, uti sane est, *per textus allegatos*: quæso, cur hæc non sit lex generalis, *secundum l. 9. in fin. ff. de jur. & fact. ign.* Quid? an Jurisprudentiam profitebimur contra Legislatoris placita? Ex his corruit id quod (3.) à Dn. Bergero objicitur, non esse Quasi-Contractibus accensenda ea negotia quæ diverso jure censentur. Apparet enim ex superioribus, omnes Quasi-Contractus, quibus superiùs enarrata; tria adsint, unius hactenus ejusdemque esse generis. Sive enim vero constet consensu, sive ficto, unius tamen ejusdemque sunt generis, cùm quatenus quasi contractus sunt, unius ex dictis tribus consistentis naturæ sint. Alias quantum

in

in cæteris Quasi-Contractus inter se diversissimi sint, ex singulorum collatione patet. Non memorabo singula. Sed vide quæso *l. 1. ff. de religios.* hic in funus impendens contrahit cum homine *mortuo*: at reliqui Quasi-contractus fiunt cum *viventibus*. Vis Quasi-contractus *expresso veroque consensu* constantes? Vide *l. 11. §. 9. de interr. in jur. l. 3. §. 11. ad exhib. &c.* Ex superioribus etiam patet, nullius momenti esse, quod Amplissimus Bergerus (4.) objicit, dum ait, vocem *quasi*, eique oppositam *veri* contractus, indicare, præcipuam distinguendi utriusque rationem in modo explicandi consensum sitam esse, ut, quicunque quasi contrahere dicuntur, non vere, sed juris interpretatione, æquitate, quæ est in re ipsa, suffulta, in aliquod negotium consentire intelligantur. Verum ex superioribus tribus requisitis legalibus abundè patet, ea ratione qua D. Bergerus vult, veros & quasi contractus à se invicem à Legislatore Justiniano non distingui: nec illam esse emphasin vocis *quasi*. Quin cùm pacta nuda etiam vero non quasi consensu constent, & tamen veri contractus ideo non sint, patet eam vocem *quasi* consensui *vero* non opponi: saltim non semper: sed in

quasi

in quasi contractibus verò consensu constantibus opponi *nomini & causæ*, quorum, aut saltim alterutrius, præsentia requiritur in veris contractibus. At in Quasi-Contractibus, qui ficto consensu constant, non repugno, vocem *quasi* opponi consensui *vero*. Ergò argumentatio Dn. Bergeri aliquando vera erit: non perpetuò: non in Quasi-Contractibus vero constantibus consensui: non in donatione in specie. Quid (5) D. Bergerus velit per objectos textus in *l. 13. §. ult. commod. & l. 46. ff. de O. & A.* justa conjectura assequi non valeo: nisi hæc Viri Nobilissimi mens fuerit, quasi contractus dici ibidem obligationem *tacitam* & *ex re* parere: ergò non ex consensu *vero*. Respondeo 1. non loqui dictos textus de *omnibus* quasi contractibus, nec horum *generalem* naturam exprimere: sed duntaxat *quorundam* ibi memoratorum, & consimilis indolis aliorum. 2. Obligationem *tacitam* atque *ex re*, etiam in *veros* contractus cadere: *arg. l. 4. ff. pro soc. t. t. ff. In quib. caus. pign. tac. contr. l. 206. ff. de R. J. §. ult. I. quib. alien. lic. &c.* Quod & vult textus Dn. Bergeri in *d. l. 13. §. ult.*

QUÆSTIO VI.

An actio de tigno juncto tam ratione mala fide, quàm bona fide jungentis sit merè rei persecutoria?

AUdiamus Amplissimum Dn. Bergerum: *Nunquam non* (inquit Resolut. edit. novissim. pag. 703. seq.) *mihi probata visaq; explicandis multis difficultatibus idonea fuit opinio Struvii S. I. C. Exerc. 4. th. 46. & Exerc. 48. th. 30. statuentis, actionem de tigno juncto indifferenter tam ratione mala, quàm ratione bona fi-*

de jungentis esse mere rei persecutoriam, cum quia surrogata est in locum rei vindicationis l. 23. §. 6. de rei vind. tum quia duplum, ad quod comparata est, pro tigno præstandum est, l. 7. §. 10. de acquir. rer. domin. & subintrat in locum ejus, quod interest arg. l. un. C. de sent. quæ pro eo, quod interest profer. quo etiam sensu pretii nomen subit. l. 98. §. ult. de solut. Hæc Dn. Struvii & Cl. Bergeri sententia paradoxa, cum mihi nunquam placuerit & in Sicilimentis meis dissensum meum indicaverim muniverimque sequentibus: *Illud leviculum est* (dixi) *quod adducitur iniquum esse actorem bonam causam fovent em pœnâ debere affici. Non enim pœna hæc condemnationis in expensas irrogatur actori, qua bonam causam fovet adeòque vincit: sed qua isti bonæ causæ admiscuit malam, quatenus contumax est. ut pœna contumaciæ irrogetur, non autem bonæ illi causæ: quemadmodum alibi cum de tigno bona fide juncto agitur, communis sententia est, eundem duplo, ita ut tamen eodem ipsius tigni æstimatio simul comprehendatur, puniri, non quasi ulla pœnam sentire debeat bona fides, sed quod pœna dignum, sit factum culposum, quo quis proximum re ipsi utili necessariavè, tigno inquam ædibus privis, privæ necessitati utilitatiq; destinato, sua culpa, non inquirendo in res suas, facit carere.* Hiscè meis, quæ vides *Manip. 4. ad ff. pag. 296.* regerit Ampl. Bergerus, ab eo qui causæ bonæ admiscuit malam, qui contumax est, argui non posse ad eum, qui bona fide junxit. Deinde subjiciens: *vel bona fides* (inquit) *quam equidem cum Struvio hoc loco præstruo, culpam excludit, vel, si quidē nec bonæ fidei possessor omni vacet culpa, ea tamen tanta non fuerit, ut jure nostro pœnali actione coerceatur. Fac enim tertium furtum in tigno commisisse, ideò in duplum non est mulctandus ædificator, quū neminem alieno odio gravari oporteat. Nec verò est ab-*

surdum

furdum, mala fide ædificantem eodem jure cum eo, qui bonam fidem habet, censeri, nam furti pœna à ratione dominii separata est, ut scite Huberus disputat præl. I. de R. D. n. 23. Neque, ut idem ibidem pertendit, L. XII. Tab. prohibet, domino reddi tignum sed vult saltem Dominum esse contentum æstimatione tigni, neve conqueratur, duplum indulsit. Tigni vindicatio negatur Domino in gratiam ædificantis, ne destruere domum cogatur. Igitur solvendo atq; reddendo tignum præstatione dupli liberatur, §. 29 *l. d. R. D. l. 23. §. penult. l. 7.* §. 10. *de A. R. D. Denique haud meminerim, prudentes usquam naturam actionum ejusdem generis ex diversa reorum conditione distinxisse, ut modo mere pœnales modo mixtæ audiant. Quin actiones hac parte sibi semper constant, & ad alterutrum genus pertinent nec eorum, contra quos competunt, conditione mutantur.* Hæc Dn. Bergerus *resolut. edit. noviss. pag.* 704. *& seq.* Verum inspiciamus primùm fundamenta sententiæ huic paradoxæ ab Ampl. Viro substrata. Ait: quoniam Actio de tigno juncto in locum Rei vindicationis surrogata est *l.* 23. §. 6. *ff. de R. V.* Respondeo 1. id ex allegato textu minimè probari: cum eadem ratione (si adesset) eodem textu probari possit, esse surrogatam in locum actionis ad exhibendum, de quo confer. *l. 6. ff. ad exhibend.* Respondeo 2. non sequi: actio de tigno juncto surrogata est in locum rei vindicationis, ergo per omnia ejusdem naturæ est, cujus & hæc est. Ecce. Actio rerum amotarũ surrogata est in locum conditionis furtivæ inter conjuges, aut hæc in illius: & tamen per omnia sibi similes non sunt. Actio in factum ex alienatione judicii mutandi causa facta competens, surrogata est in locum utilis rei vindicationis, aut hæc in locum illius: & diversissimam nihilominus obtinent naturam. Res pecunia mea emta surrogatur

in locum pecuniæ meæ: nec tamen dominio meo subjicitur, etsi pecunia dominio meo subjecta fuerit: præterea quæ diversissimæ ab hac naturæ est. Sexcenta talia memorarem, nisi res in confesso esset. Secundo ait D. Bergerus, duplum istud pro tigno præstari *l. 7. §. 10. acq. rer. dom.* Resp. Surrogatum naturam ejus in cujus locum surrogatum est, non sapere per omnia: ut jam dixi: adeòque nec sequi, duplum solvitur pro tigno, ergò mere res est, non simul pœna, ad instar tigni. Deinde respondeo, verba illa: *pro eo*: quæ apparent in *d l. 7. §. 10.* non referenda esse ad *tignum*, sed ad illa: *ædibus suis junctum.* Nimirum ut duplum præstetur pro illa *junctione*: culposa scil. vel dolosa. Quod idem innuitur in *l. 1. pr. in f. ibi. junxisse, ff. de tign. junct.* Tertiò, quod duplum (censente porro Cl. Bergero) subintret in locum ejus quod interest, id ex allegato à Dn. Bergero textu minimè probatur: & contrarium evincitur manifestè ex eo, quod adversus mala fide jungentem, adhuc actio ad exhibendum & rei vindicatio locum habere possint, *l. 1. §. ult. & l. ult. ff. de tign. junct.* Quod, quarto, duplum *pretii* homine veniat *l. 98. §. ult. solut.* id ego nego: Etsi non negem pro tigno pretium solvi in duplo, sed nego dictum textum pretii vocabulum ad duplum extendere: sed ajo, id ad dimidiam dupli partem solam pertinere. Sed & *pretium* aliquando laxius accipitur. Sanè vel ex ipsa Dn. Struvii eumque secuti Dn. Bergeri sententia, oportet pretii vocem, ut in objecto textu laxè accipiant: volunt enim duplum esse mere rem, ita ut contineat pretium rei & æstimationem ejus quod interest. Ergò id quod interest differt à pretio: consequenter si pretii vox in objecto textu comprehendit id quod interest, sequitur pretium inibi laxe & abusivè accipi: si id quod interest

sub

sub pretii voce ibidem non comprehenditur, sequitur pretii vocem ibidem solùm simplum denotare, quod magis est. Laudo Cl. Bergerum, quod cætera Struvianæ hujus paradoxæ sententiæ Struviana fundamenta adducere noluerit, credo quod Ipse eorundem imbecillitatem perspexerit. Tale est, cum Dn. Struvius *exerc. ff. 48. Thes. 30.* ait, non opus fuisse contrà mala fide jungentes actionem *pœnalem* in duplum introducere cum & LL. XII. tab. fures non manifesti duplo puniti fuerint. Aſt contrà, quis nescit, odio furum plures actiones contrà fures inductas esse? §. 14. *I. de action.* Et quis præterea non videt utilitatem Actionis de tigno juncto præ altera illa Actione furti nec manifesti? In hac furtum, adeòque propositum, affectum, dolum probare necesse habet actor *l. 53. ff. de furt.* §. 2. *I. de usucap.* §. 7. *I. de oblig. q. ex del. nasc.* at finge hunc in præsens probari nondum posse, quæso, qua a-actione consequetur actor duplum? Sola scil. actione de tigno juncto, ubi sufficit probare junctionem. At si succedente tempore dolus deinde probari possit, tum & ad exhibendum agi, pretiumque tigni ultrà duplum exigi poterit. Neque majoris profecto momenti sunt ea, quæ subjicit Ampliss. Struvius *d. thes. 30.* Ait enim: *Neque ullibi leges illam diversam naturam hujus actionis sed eam solum differentiam inter b. & m. f. jungentem tradunt, nim. b. f. jungentem quamdiu constat ædificium, non alia quàm hac de tigno juncto teneri actione, qua si duplum fuerit dominus consecutus, eum non posse deinde diruto ædificio ipsum tignum vindicare §. 30. in fin. d. r. d. Aſt. m. f. jungentem etiam teneri rei vindicatione & actione ad exhibendum non quidem ut ipsum tignum inclusum restituere debeat, sed ut tanquam is, qui dolo desiit possidere, teneatur ad id, quanti in litem juraverit dominus tigni. d. l. 23. §. 6. de*

R.V. l. 1. §. f. de tign. junct. cujusmodi actione, vel etiam actione de tigno juncto, si tigni furtivi nomine de ædibus actum, & quis litis æstimationem, aut duplum, ab eo, qui sciens esse alienum consecutus sit, nihilominus ipsum tignum, diruto ædificio vindicare potest, l. 2. h. t. Non igitur singulare quid hic de eo, qui mal. fid. tignum junxit, traditur, sed idem illud quod in aliis, qui dolo desinunt possidere, lege statutum est, quod scilicet licet æstimatio litis s. id quod interest sit præstitum, tamen ipsa res adhuc, rei vindicatione peti possit, l. 7. de R.V. l. 13. §. pen. de petit. hæredit. l. 5. §. 9. de solution. Hactenus Struvius *d. th. 30.* Ast, pace bearorum Ampl. Struvii manium dixerim, hæc tanto viro indigna sunt. Fatetur, contra mala fide jungenrem qui duplum solvit, durare rei vindicatiouem & actionem ad exhibendum, eo sensu quo Vir Amplissimus rectè exposuit: ergò profecto, duplum istud mere pœna esti neque enim idem bis debet peti. Sive, quod idem est, sequitur exinde, actionem de tigno juncto contra mala fide jungentem esse mere pœnalem. Sequitur id inquam ex ipsius Dn. Struvii verissima doctrina alibi proposita, dum *exer. 46. th. 93.* rectissimè docet, duas actiones rei persecutorias concurrentes facere alteram consumi. At si actio dicta contrà jungentem mala fide, esset (quod Dn. Struvius vult) rei persecutoria, sequeretur sanè exinde, aut hanc actionem de tigno juncto, Rei vindicationem & ad exhibendum actionem debere consumere, aut his debere consumi. At cum illa has non consumat nec ab his consumatur, sequitur, cum hæ rei persecutoriæ sint, illam mere esse pœnalem. Conatur equidem D. Struvius sibi heic effugium parare, dum in fine visorum verborum addit, quod & in aliis malæ fidei possessoribus ita juris sit, ut pretio, sive eo quod interest, percepto, nihilomi-

aus

nus Rei vindicatio superfit. At ego nego, Rei vindicationem dari adversus eum, qui litis æstimationem sive id, quod interest exsolvit : nego id in legibus à Dn. Struvio allegatis contineri. Non nego, pretio aut eo quod interest percepto, nihilo minus rem ipsam vindicari Rei Vindicatione posse à *tertio* possessore : sed nego eam vindicari posse ab eo, qui rei pretium aut id quod interest jam persolvit. At in casu tigni mala fide juncti, ipse jungens qui duplum jam exsolvit, actione rei persecutoria recte convenitur : ipse jungens, inquam, qui solvit : non tertius, de quo in textibus D. Struvio adductis. Sanè cum ipse qui junxit mala fide, duplo soluto, nihilo minus actione rei persecutoria teneatur : sequitur, duplum illud non esse rem, vel ejus loco præstari. At eum qui pretium vel id quod interest solvit, adhuc rei persecutoria teneri, inauditum est, & cum retro ex Ampliss. Dn. Struvio *exerc. 46. th. 93.* dictis omninò pugnat. Distinguo ergò inter possessorem qui pretium aut id quod interest solvit : & eum qui id non solvit. Hic Rei Vindicatione tenetur : ille non, videatur textus in *l. Stichum. 91. §. dolo 9. ff. de solution.* At cum nostro casu etiam ille qui duplum actione de Tigno juncto conventus solvit, Rei Vindicatione teneatur, sequitur leges à Dn. Struvio adductas, ad actionem de tigno mala fide juncto nulla ratione pertinere, utpotè cum loquantur de tertio possessore qui nec duplum, nec rem, nec rei pretium, nec id quod interest, præstitit. Sed revertamur ad Ampliss. Bergerum. Ait, ab eo qui bonæ causæ admiscuit malam qui contumax est. argui vix posse ad eum qui bona fide tignum junxit. At ego in verbis, modo ex Sicilimentorum meorum Manipulo Quarto adductis non nisi comparationem quandam institui, ut patet. Dixi, victorem qui

bonam causam litigando fovit, ob contumaciam condemnari in expensas: quemadmodum is qui bona fide junxit tignum, condemnatur ob culpam. Comparatio est in eo, quod uti priori casu contumacia est accessorium bonæ causæ: ita posteriori casu, culpa bonæ fidei. At utroque casu accessorium pœnæ subjici: non verò ipsum principale. Puto comparationem non esse rejiciendam. Quod porrò Dn. Bergerus asserit, bonam fidem excludere culpam, id nulli unquam Juris cultori persuaserit: cum contrà certum sit, cum culpa semper bonam fidem concurrere, itaque culpam à dolo distingui. Addit Vir Amplissimus: non tamen eam culpam esse talem, quæ actione pœnali possit coërceri, ex ratione, quod furto à tertio commisso, alieno odio nemo debeat prægravari. Sed quis non videt heic non agi de odio alieno? Agitur hic de culpa jungentis propria. An negabit Dn. Bergerus, damnum culpa datum actione pœnali coërceri? At ego id affirmo? vid. §. 9. *l. de L. Aquil. l. 23.* §. *8. ff. eod.* Hinc ita concludo: Etiam ob culpam levissimam potest damnum dans actione pœnali coërceri *d.* §. *9. d. l. 23.* §. 8. quid mirum ergò, si tignum id est omnem ædificiorum materiam proximo intervertendo, damnum non leve per culpam infligens, ob hoc damnum datum actione pœnali coërceatur? Bonam porrò fidem, (de qua pergit D. Bergerus loqui) eodem jure cum mala fide censeri, credo, statui non debere. Neque habetur in delictis (ad quæ damnum pertinet) unicè dominii ratio: sed rei pœnæque persecutionis. Rei, ad indemnitatem parandam læso. Pœnæ, ad culpæ dolique coërcitionem. Pergit Dn. Bergerus, exiftimatque cum Amplifs. piæ memoriæ Hubero, jungentem dupli præstationem posse evitare solvendo atque reddendo tignum. Verùm textus allegati

id

id non probant, contrariumque verius est, per ea quæ præfati Ampl. Huberi positiones *ad Instit. tit. de rer. div. pos. 73. sub lit. r.* notavit Excell. Thomasius, ubi ait: *satis quidem erudite pro hac sententia disputat autor* (Dn. Huber.) *prælect. p. 91. Sed his tamen non obstantibus retinemus assertionem contrariam per dicta ad Strauch.* VI. *45. p. 77. Momentum controversia in eo consistere videtur, an solutio tigni in l. 6. ff. ad exhib. & in l. 98. in fin. de solut. prohibita spectet ad actorem an ad reum? ad actorem spectare putat noster d. l. sed ad reum spectare innuit, ni fallor l. 1. pr. h. t. ubi Ulpianus ait: lex* XII. *Tabb. neque* (reo) *solvere permittit tignum ædibus vel vineis junctum, neque* (actori) *vindicare.* Hæc D. Thomasius dicto loco ad Dn. Huberum. Subjicio & ea quæ idem Cl. Thomasius notavit ad Dn. Strauchium *d. pag. 77. Potius*, inquit, *negatur quæstio, quia verba LL.* XII. *Tabb. sunt prohibitiva* l. gemma. *6.* vers. aliter. ff. ad exhibend. l. qui res suas. *98.* §. ult. ff. de solut. l. 1. pr. ff. de ting. junct. *Locamer.* quæst. Justin. *37. Conf. Brunneman.* exerc. *6.* ad Inst. p. 52. *Quamvis ergo quandoque in legibus dicatur, non cogi ædificatorem tignum eximere, inde tamen non concludere licebit: Ergo si velit, potest. Quippe argumenta à contrario sensu contra alios textus expressos non procedunt. Illud autem quod lex* XII. *Tabb. non nisi ordinariam actionem ad exhibendum & rei vindicationem impedire voluerit, ab Auctore* (Strauchio) *non probatum, quin potius aliud apparet ex* l. 1. pr. ff. de tign. junct. *verb. ne vel ædificia.* Accedat Dn. Struvius. Ita autem vir hic Cl. exerc. ad ff. *48.* th. *31. Denique circa l. f. jungentem tignum quæritur: an is dupli condemnationem evitare possit, si tignum eximere velit? quod negandum videtur per l. 6. ad exhib. d. l. 98. §. f. ff. de*

solut. l. 1. h. jung. l. 2. C. de ædif. priv. li. 52 de contrah. emt. l. 7. de offic. Præsid. l. 41. §. 1. de legat. 1. Neque enim facile tignum, quod quis ædificio incluſit & vinxit abſque ædium incommodo; vel vitibus junctum ſine aliqua vinearum cultura turbatione eximi poterit; neque ædibus ita aptatum alienis domino commodum erit accipere. Adde Hillig. ad Donell. l. 4. c. 33. c. Tabor. d. l. theſ. 28. Hæc Ampl. Struvius. Plane ex iiſdem patet & mens legum ab Ampl. Bergero adductarum, eximi ſcil. non poſſe à volente, quod & patet ex ipſis earumdem verbis, veluti cum §. 29. *I. de rer. div.* legimus: *ſed duplum pro eo præſtet* Verbis, inquam, jubentibus: non permittentibus. Quæ denique Ampl. Bergerus ſubjicit dicto verſ. *Denique haud meminerim &c.* ea quod ſatis ſit, ſententiam meam communemque adverſus Dn. Struvium tuitus, jam refutavi *Manip. 1. ſcilimentor. ad ff. num. 102.* ubi hæc noſtra videre licet: *Etſi enim in Syntagmate Struviano exerc. 41. th. 46. legantur hæc verba:* (Neque ullum exemplum in legibus occurrit, quo ratione rei conventi modo mixta modo mere pœnalis ſit una eademque actio:) *ea tamen exemplo actionis de calumniatoribus vi bonorum raptorum, aliiſque ſatis refutantur. Sane enim actio de calumniatoribus contra eum, qui accipit ut calumnioſum negotium moveatur, eſt quidem in quadruplum ſed mixta, ita ut triplum tantum pœna ſit (unde & poſt annum tantum in ſimplum erit, per l. 35. ff. de O. & A.) Aſt eſt tamen eadem mere pœnalis, caſu quo tertius forte tibi pecuniam dat, ne me lite vexes calumnioſa, quo caſu tertius ille à te repetet id, quod dedit, at ego ultra id adhuc ejuſdē quadruplū à te exigā, quo caſu ſane quadruplo nō poteſt amplius ineſſe res, utpote qua bis peti non debet. l. 57. de R. J. erat jā autē petita aut ſuper eſt petenda*

à ter-

à tertio, qui eam dederat. Eadem omnino ratio est actionis vi bonorum raptorum quæ mixta est in quadruplum, ita ut quadruplum non sit mera pœna, sed tantum quod ad triplum : at verò si quis in navicularios rapinam fecerit, tum istud quadruplum totum pœna est. l. 5. C. navic. Et quid? An non & Aquiliæ Legis actio ad hanc classem pertinet? Illa siquidem cum simplum persequitur, aliquandò mere rẽpetit aliquando ex rei & pœnæ persecutione mixta est, eũ scilicet res corrupta anno vel mense ultimis pluris fuit, quàm eo tẽpore, quo corruptio facta est. Hæc, ut dixi, jam in Sicilimentis meis Manipulo Tertio repræsentavi. Adhuc ei quod supra dixi, duplum istud ratione ejus, qui mala fide junxit, esse meram pœnam, opponi potest §. 29. *in fin. Instit. de rer. divis.* ubi indistincte dicitur, dominum tunc demum rem posse vindicare, si duplum non est consecutus. Resp. totus §. loquitur de bona fide jungente, uti patet ex verbis; *neque ad exhibendum. junct. l. 1. §. ult. ff. ting. junct.*

POSTICULUM.

Ita Ampl. Bergero satisfactum esse existimo. Si quæ alia sunt capita, in quibus à me dissentit, ea ego adversus Virum Cl. quamdiu mihi meisque parcit, in hac Benedictorum meorum appendice tangere non debeo. Alias lubuisset tum de elegantioribus aliis tum de quæstione quam pag. 532. exhibet, cum Præstantissimo Viro conferre. Interim sentio tamen cum Eodem, quod ad Quæstionem de diremtione aut nullitate matrimonii contra prohibitionem Juris Divini initi, ut patet ex *Benedict. meorum pag.* 230. & publice

publice aliquando dixi in Oratione *de Rapis* habita, quam heic subjicio, & ut sententia mea ulterius pateat, & ut desideriis amicorum satisfiat.

MEMORIA BOCKELMANNIANA.

Commendata publicè in choro Templi Academici cùm ordinariæ Juris Professioni in inclyta Illusti. ill. atque Præpot. Groningæ & Omlandiæ Ordinum Academia A.C. clo. IoC.XCIV. a. d. v. Calend. Quintil. solenniter auspicaretur.

Magnifice Rector. Adolescentis feliciter Provincialis pupilla Illustres atque Amplissimi Curatores, caterique Reip. Proceres, Patriæ Patres, Academiæ Patroni. Omnium Facultatum celeberrimi Professores, Collegæ honoratissimi, &, quæ singularis in hac iterum Academia mea est felicitas, omnes & singuli conjunctissimi. Omnium præterea Ordinum quotquot adestis auditores dignissimi, omni mihi honoris & amoris significatione publicè privatimque si vos vultis, colendi. Et tu denique ô generosus atque ingenuus sanguis, ornatissima florentissimorum Studiosorum & Candidatorum corona: mea, amicorum, parentum, Academiæ, Ecclesiæ, Reipub. spes, caritates, delicia.

Fami-

FAmiliaris noſter P. Terentius inſpicere nos jubet in aliorum hominum vitas tanquã in ſpeculum, atque ex aliis nobis exemplum ſumere, ut exinde quid faciendum quid fugiendum, quid laudi ſit, quid vitio detur, contemplari, conſiderare, diſcere, imitari aut fugere commodius noſtro emolumento poſſimus. Quæſo Vos A. H. nolite hoc Terentii monitum ad antiquam reſtringere hiſtoriam. Etſi enim inficias ire nolim, & hanc rerum agendarum (*ut Lipſius dicere ſolebat*) quaſi animam & utile ad remp. & actiones conſiliaque dirigenda inſtrumentum eſſe, credo tamen, peſſime de hoc ſæculo mereri illos, qui id adeo effœtum exiſtimant, ut omnia ex antiquitate unicè ad vitam bene inſtituendam exempla petenda eſſe contendant, digni ſane, qui cum Thalete in foveam barathrumque incidant, atque à muliercula ſibi quadam occini audiant, id ipſis merito accidiſſe, utpote cum cœlum contemplari anniſi fuerint, ea ignorantes, quæ ante pedes eſſent. Homines Lamiæ illi ſimiles, quæ etſi foris oculatiſſima, domi cœcutiit. Ego etſi hiſtoriæ antiquæ admirator audire ſolerſque ſcrutator exiſtere magis geſtio quàm contemptor: ita tamen cum præfato Comico ſenſerim, & domi nos habere unde diſcamus, nec adeo hos dies exemplorum inopes eſſe credo, ut antiquati unice nos hac in parte dedere neceſſe habeamus. Non permittit patientia veſtra, Auditores, ut hujus rei documenta ex truculenti Martis funeſtis officinis arceſſam: Sed & dies hic me deficeret, ſi omnia aut pleraque ſaltim excellentiora laudatiſſimorum noſtræ memoriæ togatorum exempla vobis ob oculos hic ponere velim. Continebo me, pace niſi fallor veſtrâ intra crepidam meam

& Te-

& Terentianum tale ex Juriſprudentia noſtra petitum Speculum inſpiciendum hodie præbebo. Sed quid ſuſpenſos vos teneo ? Habeo in animo ſolennem hunc diem memoriæ magni hujus ſæculi JCti Joannis Friderici Bockelmanni publicitus conſecrare. Quod ſi Vobis, Auditores, levior hæc materia videtur quàm quæ hoc loco hoc tempore debeat proponi, date veniam primiter pietati meæ, quæ officium optimi doctoris, qui & cum meis ſemper fuit, & me eloquentia diligentiaque ſua meliorem reddidit, ad exemplum Aquilii Reguli, aliqua ſaltim in parte memoriam meritiſſimi viri ab oblivione quantum pote proporro etiam heic loci vindicatura, remunerari geſtit. Ingratos homines ſi alias odio habetis, erit Vobis grati animi hæc noſtra erga doctorem propenſio tanto tolerabilior. Inveniet præterea ut reor, ſermo hic noſter inauguralis uum alterumve in JCto noſtro Bockelmanno exemplum, in quod vel Vos ſi lubet, vel ego ceu in ſpeculum commode inſpicere queamus. Iſtud ſaltim prævideo & quaſi ſpondeo, argumenti hujus indolem facilè permiſſuram ut leviori iſtud ſtilo decurrendo ab omnibus indiſcriminatim auditoribus facilius poſſim intelligi, in exemplum intuitus magni Scaligeri, qui Perſium ineptum cenſebat quod cum legi vellet quæ ſcripſiſſet, intelligi noluerit quæ legerentur. Novitas ſane exempli dum memoriam recentis JCti vobis ſub Profeſſionis meæ in Provinciali hac Academia ſolennibus auſpiciis commendare aggredior, adeo me non deterret, ut potius nullum ſcrupulum qui me torquere poſſit, niſi unicum illum quem mea mihi in dicendo infantia injecit, hac in parte deprehendam. Nam ſi curæ nobis eſſe ſolet (agnoſcitis Plinii verba) ut facies noſtra ab

opti-

optimo quoque artifice exprimatur, nonne debemus optare ut operibus noſtris optimus ſcriptor prædicatorque contingat? Quemadmodum magnum illum Alexandrum ſcimus edicto vetuiſſe, ne quis ſe præter Apellem pingeret aut alius Lyſippo duceret ora Fortis Alexandri vultum ſimulantia. Sed & Hectori non cujuſvis ſed Priami tantum judicium inſtar trophæi fuit. Confido tamen benevolentiæ veſtræ, Auditores, ut ſi quid eloquentiæ mihi deeſt, ut ſentio deeſſe plurimum, id vos humanitatis veſtræ ubertate benigne ſupplere non detrectaturos. Pietas ut dixi erga doctorem bene meritum, exempli novitas, & commoditas, tum & dicendi quæ mihi hodie incumbit neceſſitas, humanitati veſtræ hercle poſſunt ſuccurrere. Favete ſultis animis, qui corporum honora præſentia panegyrin hanc condecoraſtis.

Et ut ab ovo ipſo rem ordiamur, natus eſt Bockelmannus noſter Steinfurti a. d. XVIII. Aprilis anno ſæculi nunc in occaſum vergentis trigeſimo ſecundo. O fauſta omnia, ô læta præfagia? Quis enim probabiliter ſaltim non auguretur in familia celebri celeberrimum virum eo naſci anno qui, propter res feliciter aut fortiter domi foriſque geſtas in omne ſæculum memorabilis eſt. Ut enim notum illud ad Lutzam acerrimum prælium, expugnationem Auguſtæ Trevirorum, libetationem obſeſſi ad Boryſthenem Smolenſci, aliaque plura alias memoranda nunc ſilentio præteream, quis noſtrum adeo in hiſtoria hoſpes eſt qui neſciat Illuſtriſſimos Belgas, luſtratis primulo vere hoc anno apud Neomagum copiis, Venloam Ruræmundamque feliciter intercepiſſe: qui neſciat, Trajectum ad Moſam ab iiſdem fortiter expugnatum: qui neſciat, tot alias inclytum victoriis Pappenheimium

mium à Belgis fœdè cæsum, cumque exercitu suo, aut ejus laceris potiùs reliquiis, in fugam actum, adque Visurgim hoc eodem anno rejectum fuisse. Si conjectio hæc à nascendi tempore non placet, Auditores, accedat & nativitatis locus, quem ei dedit Westphalia, in cujus meritissimas laudes, neque enim inconstantis scommata Lipsii vana moror à Domanno aliisque satis retusa, in cujus dicere volebam, meritissima encomia condigna digressio à tenuitate mea hoc brevi temporis articulo expectari non debet: suffecerit mihi si vel Bockelmanni exemplo illustraverim, Westphalam gentem & laboribus & ingenio aptam nasci, & in eo plerisque palmam præripere, quod Westphalis, ceu fortibus, ubiq; commoda patria sit, maximè si ipsis obtigerit, ut Euripidis verbis utar, γῆ βόσκουσα: ut hoc respectu verissimum putent istud Luciani: φυλέται γῆ καὶ φράτορες καὶ δημόται καὶ ἡ πατρὶς αὐτη, ψυχραὶ καὶ ἀνωφελῆ ὀνόματα καὶ ἀκοὴ τῶν ἀνδρῶν φιλοπαθήματα. Unde & Germanorum & Belgarum aliorumque genio, moribus, & linguæ facile, si resid ita depoſcat, se accommodant. Sed nolo à Westphalia Bockelmanno quid laudis arcessere, cum nesciam an Westphalis Bockelmannum nostrum accensere velitis, quandoquidem non tantum Ducatus Westphaliæ, qui Electori Colonienſi, nunc paret Paderbornenſi, Wetteravico, Marcano, Montenſique ditionibus clausus in quo Arnsberga & Werla clarent, sed & totius Westphaliæ (Ducatu Westphaliæ, Episcopatibus Monasterienſi, Paderbornenſi, Osnabrugenſi, Corveja item & nõnullis Comitatibus constanti) strictior acceptio multos circuli Westphalici Principatus atque Comitatus, excludit, veluti Cliviam, Frisiam Orientalem, Leodium, Juliacenſem, Montenſemque Ducatus, Comitatus Marcam

cam Morſamque, pluresque, quæ alias Circuli Weſtphalici indubitata portio ſunt, quemadmodum ad eundem circulum adhuc ſuperiori ſæculo teſtantibus Imperii Receſſibus Ultrajectum aliaque Belgii loca pertinuerunt. Sed & Groningam noſtram ipſius Weſtfaliæ olim partem fuiſſe, non tantùm inde probabile ſit, quod nonnulla vocabula cum ſola Weſtphalia hodieque communia habeat, ſed & inde certius evadit; quod Saxonia olim in Oſt- & Weſtfaliam diviſa, hujus autem portio Friſia omnis fuerit, ut & ipſi Friſij Saxones, & Saxones Friſij cognominati fuerint, veluti ex Procopio, Cambdeno, Woltero, Furmero, aliiſque conſtat. Neque immiſcebo me nunc liti an Steinfurtum, quod natale Bockelmanno, ut dixi ſolum eſt, uti *in* territorio Monaſterienſi eſt, ita & (ut Publiciſtarum ipſiuſque adeò Bockelmanni termino utar) *de* eodem ſit. Hoc certum eſt, Steinfurtum etſi nec Monaſterienſis Epiſcopatus nec Weſtfaliæ partem dicere velis, ad circulum tamen Weſtfalicum indubie pertinere: unde & Bockelmannus, ut Weſtfalorum exemplo ad virtutis viam calcandam inſtigaretur, Weſtfalum ſe cognominare, publiciſque typis profiteri, non detrectavit, ne tum quidem cùm Heidelbergæ jam dignitatis ſuæ ablegmina prælibaret, veluti inter alia ex diſputationibus ſub ipſius præſidio Heidelbergæ habitis & anno hujus ſæculi ſexageſimo quarto in unum faſciculum coactis, oſtendere in proclivi eſt, En vobis ô Weſtfali, ô Weſtfali mei, elegantiſſimum ſpeculum, in quod & Vos, in virtutis incitamentum, intueamini. ô Weſtfali, ea majorum veſtrorum gloria eſt, ut nunquam vobis deeſſe poſſit, quorum exemplo ad ſolidum virtutis decus capeſſendum excitemini. Cæterùm Steinfurtum, de quo ſuprà dixi,

ne quis erret, ſunt enim ejus nominis plura, intelligi hic debet, nobilis illa Illuſtriſſimorum Sacri Romani Germani Imperii Comitum in Bentheim-Steinfurt non tantum, ſed Gymnaſii etiam ab inclyto heroë Benthemico Arnoldo ibidem fundati gratiſſima ſedes. Nullus profecto in re literaria es, ſi neſcis ineunte atque procedente hoc ſæculo, eam Arnoldini hujus famam fuiſſe, ut docentibus ibidem maxima cum nominis ſui celebritate, Vorſtiis, Timpleris, Heideggeris, Gigantibus, Rutgerfiis, Goddæis, Teſmaris, Holtermannis, aliiſque, etiam illis ante & poſteà quorum, ſi modeſtiam amo, mentionem facere non debeo, ſed fecit id jam nupero inaugurationi Gymnaſii Regni Lingenſis præmiſſo programmate Cl. plurimumque Rev. Pontanus, Steinfurtum eo tempore multas Germaniæ hodie Belgiique Academias, tum docentium diſcentiumque numero, tum claritudinis ſplendore, aut æquaverit aut ſuperaverit. Huic tam præclaro ea tempeſtate ſeminario optimi parentes Bockelmannulum ſuum quamprimum per ætatulam licuit, inſeri fecerunt, adque optimorum doctorum ingenia probari, veluti aquila (audieris Lucanum) *Calido cum protulit ovo implumes natos, ſolis convertit ad ortus: Qui potuere pati radios & lumine recto ſuſtinuere diem, cœli ſervantur in uſus, qui Phœbo ceſſere, jacent. Non aliter* (ait Ennodius) *celſo pueros de ſtemmate cretos, doctrinæ radiis opponit curæ parentis* Probatus eſt ad cotem hanc Steinfurticam Bockelmannus, & probatus. Probatus adeò, ut mature ad lectiones ſcholaſque Profeſſorum admotus per pluſculum tempus de eorundem ore aſſiduiſſimus pependerit. Non potuit non Bockelmannus noſter ad exemplum Marci, Ciceronis filii, dum

in

in hisce Athenis Steinfurticis & nascitur & educatur, omnis generis sapientiæ atque eruditionis, maximè tamen ad Jurisprudentiam spectantibus præceptis, abundare, parentibus insuper editus & doctis & JCtis. Si enim virgulta à proprio cespite non discrepant, si vitis propago propriæ servit origini; nec procul à proprio stipite poma cadunt, *id ne tu miraris* (Plauti verba sunt) *si patrissat filius*? Potest, scio, ex humili casa magnus vir prodire: potest ex Amasis ex plebeculæ fœce prodeuntis at post Ægyptiorum Regis ad obscœnos antea usus adhibita pelvi, statua erigi adorabilis: nescio tamen quo stimulo nos excitent exempla patris Æneæ & avunculi Hectoris. Si vere Domitius, Neronis pater, negabat ex se & Agrippina quicquam nisi detestabile & malo publico nasci posse: quis non & versa vice arbitretur, fortes creari fortibus & bonis, nec imbellem feroces progenerare aquilas columbam? Ignorari enim heic nolim, Bockelmannum nostrum ea familia prognatum fuisse quæ & studiis semper devota fuit & dignitate inter alias enituit. Patrem siquidem habuit Virum Amplissimum Fridericum Bockelmannum JC. Steinfurtensem atq; Prætorem quem Graffium ibi cognominant quasi terræ judicem dixeris, sane *go* pro terra videtur & in hâc Provinciâ usurpari in Hunsingo & Fivelingo: vox autem *Graff* pro *judice* & in aliis appellationibus supereft, ubi nil nisi judicem notat, etsi tamen falsum sit quod ea vox in Westfalia nihil nisi judicem notet, ut ineptiit Besoldus, nisi eam restringas ad Gograffios, similesq; ministros & subditos quales sunt Centgraffii, Dyckgraffii, & olim Friegraffii. Matrem Bockelmannus noster Magdalenã habuit Braveram, matronam lectissimã atq; magni illius Cancellarii Benthemici Braveri, in cuj⁹ postea locũ

avus meus Joannes Pagenstecher successit, filiam. Hæc cùm primis votis in thalamum Auricæ cessisset viro nobilissimo, Lubberto Iconio de Folckers, Sereniſſimo Frisiæ Orientalis Principi à Consiliis, eundemque læta prole masculâ, cui Iconis nomen inditum fuit, parentem feciſſet, mox mœsto funere cariſſimum quondam fidiſſimumque maritum extulit lachrimabilis vidua nisi atrum mœrorem post aliquod tempus exterſiſſet tædis jugalibus inter ipsam Iconii viduam cum præfato Gograffio (permittite ut ita loquar) Bockelmanno secundis ominibus accensis : cui ut dixi Johannem Fridericum Bockelmannum noſtrum peperit, delecto inter cœteros ad sacri baptiſmatis sacramentum suſceptore JCto. Holtermanno. Fuit ergò Johannes Fridericus Bockelmannus noſter dicti Iconis Iconii de Folckers frater uterinus : uterque de re publica optimè meritus, sed hic tanto felicior, quòd cùm ille familiæ suæ finis extiterit, hic in læta progenie sua in hanc usque post fata suahoram, reipubl. commodet, relictis ex nobiliſſima matrona Catharina Steintgens adhuc superſtite (cujus pater Consiliarii charactere in aula Duſſeldorpienſi illuſtris fuit) quatuor liberis, veluti Mauritio Winando Iconio de Folckers, in quem paterna dignitas summi scil. Præfecti, Droſſardum aut Amptmannum hodie vocant, in Wevelinghoven & Helffenſtein, annuente nobiliſſimi viri meritis Illuſtriſſimo D. Comite Tecklæburgenſi, translata eſt. Alter filius eſt Lubbertus Everwinus Iconius de Folckers, præfati Illuſtriſſimi Comitis Consiliarius & Prætor Limburgicus meritiſſimus. Sequitur filia, Mechtildis Gertrudis Viri pl. reverendi Hardingii ab Hamme verbi Divini ad Duſſeldorpienſem inſtauratis ad verbum Dei sacris devotam

tam Ecclesiam præconis laudatissimi conjux lectissima. Quarta, quam primo loco collocare debueram, sed quoniam talium non sine animi dejectione meminisse possum moratus sum quatenus licuit. Sed dicendum tamen etsi animus luctu refugit, nunc tandem est. Quarta dicere volebam, est Magdalena Catharina Iconia de Fölckers, omnibus animi corporisq; eum sexum decentibus dotibus instructissima matrona, fratris heu quondam mei, Ernesti Philippi Pagenstecheri, Sereniſſimi Electoris Palatini Consiliarii atq; Prætoris Heidelbergensis ex iis, qui reformatis sacris addicti fuerunt ultimi, vidua quæ longiore (vel invidiam antestor) vita dignum maritum præmatura morte ereptum nondum eluxit, ea tamen in parte beata quod carissimi beati capitis quatuor vivas imagines, totidem fœdissimi amoris testes binos filios binasque sexus sequioris domi possideat. Sed mittamus talia. Bockelmannus ille noster in ipso quasi Parnasso, aut, si mavis, Themidos quasi delubro, Steinfurti natus, gentem etiam Musis Studiisque sacratam, quin & susceptorem JCtum natus, exemplo Vobis, ô Studiosi Juvenes, præluxit omninò laudabili, in quod & vos veluti in speculum inspicere, studiaque vestra ad eandem normam componere positis. Quid enim? an non quosdam alicubi reperias, qui occasionem studiis tempus impendendi nacti omninò opportunam, eandem tamen flocci faciunt? qui cum Musas ante fores cubantes, complexusque illorum expetentes videant, easdem prætereunt, asperhantur? quibus Bacchus placet pro Phæbo, Murtia pro Themide? Quis neget esse alicubi, qui avitæ virtutis immemores, exemplo suo probent, quàm verum sit illud: Heroum filii noxæ! Itane verò? an ex rosis spuillæ nascuntur,

cum hæ iſtas producere nequeant ? At videte Bockelmannum noſtrũ à teneris unguiculis Steinfurti Scholas mira aſſiduitate frequentantem, deinde ad ſuperiores mature admiſſum diſciplinas ſumma alacritate pergentem quin, & ad exemplum Nervæ filii, in ipſo ætatis primulo flore publicè de jure ſummo omnium cum applauſu reſponſitantem. Inter primitias ſtudii ipſius Juridici eminet diſputatio ejuſdem de Sponſalibus & Matrimonio, ſub præſidio patrui mei Werneri Pagenſtecheri Conſiliarii Prætoris atque Profeſſoris quondam Steinfurtenſis publicè habita, de qua è cæteris ideò ſingulariter moneo, ut rumuſculus concidat qui alicubi percrebuit, Bockelmannum noſtrum acerrimum Polygamiæ patronum atque propugnatorem extitiſſe. Verùm uti virtus raro eſt abſque invidia, ita hæc raro abſque calumnia. Utramque Bockelmanni virtus experta eſt, utramque vicit: & hanc quidem tanto facilius quod fundamento caruit ceu ſæpius confieri aſſolet, nam quod de citro illa Romæ in horto domeſtico Patrum Auguſtini Diſcalceatorum ſpectabili legimus, eam ſine omni radice pendulam, folia, flores, fructuſque proferre : idem profecto de calumnia ſæpicule certiſſimum eſt. Sane de provectiori Bockelmanni ætate, tum commentarius ipſius ad Digeſta, tum apologia hunc in finem ab ipſo Bockelmanno edita a Cl. Feltmanno tractatu de Polygamia laudata, ſatis comprobant eum à polygamiæ defenſione fuiſſe oppido quàm alieniſsimum. Sane, ſi vel maximè Bockelmannus in diſputatione ſua inaugurali eamque ſecuta Apologetica Epiſtola ſane modeſtiſsima contrà fœtidam ſub rubro : *KRIGERICUS HIRCANDER omnibus bonis fœtens & exoſus* : anno hujus ſæculi quinquageſimo nono ineptis *pretenſi Parrheſii Philalethis*

lethis faucibus eructatam : si dicere volebam vel maximè Bockelmannus serio sensit ex plurib⁹ causis quam duabus illis in vulgus notis, adulterio & malitiosa desertione, divortium admitti debere, ea tamen sententia nihil omninò cum polygamia commune habet. Aliud enim est dicere: Titius *solutus* à Caja uxore quondam sua, eadem adhuc superstite, Mæviam ducere potest. Aliud iterum: Titio *retenta* uxore Caja secundam Mæviam ei superinducere integrum est. Prior casus Monogamiam inducit: posterior Polygamiam. Prior dissolutionem vinculi matrimonialis prioris includit aut (ut loquuntur præsupponit: Posterior priùs vinculum durare & constare vult. Sed & memorata disputatio Steinfurtensis ætatem Bockelmanni juvenilem, quæ alias pronior in pruritus dissentiendi est ab eadem labe satis abundèque absolvit: thesi siquidem nona hæc ejus verba habes: *Omnem bigamiam & polygamiam procul hinc arcessimus: quicquid hæreticus Ochinus & cum eo alii oblatrent.* En novum Vobis, ô Studiosi Juvenes, exemplum, quo moneri velitis cavendum vobis esse uti à cæteris pestilentibus quorundam magistrationibus noxiarumque sententiarum defensionibus, ita specialiter à Polygamiæ patrociniis. Quid putatis? cum mutuum omne possibile (quod à specialibus & particularibus aliis adjutoriis, qualia aliæ conventiones spectant, omninò differt) adjutorium quod (Justiniano individua id est artissima consuetudo appellatum) in conjugio contrahentes à se invicem exspectant, ad solam sobolis procreationem restringi nequeat, vel S. Paulo qui ustionis hic etiam remedium ob oculos nobis ponit, luculentissimo teste, an non maritus vel tantillum conjugialis adjutorii invita uxore alteri uxori impertiens, priorem eodem fraudat, eoq; essentialem matrimonii finē everrit?

Si ratio hæc noſtra Vobis non ſatisfacit, audite Theologum Brandenburgicum in nupero de principio credendi tractatu: *Quum video*, ait ille, *ordinatione Dei, in natura æqualem circiter numerum fœmellarum & marium eſſe, fœminaſque majori cum libidine ad viros ſæpe ferri quàm viri quidem contendunt ad fœminas, hinc tacite arguo, noluiſſe Deum polygamiam & multiplicationem uxorum ſed uni unam adjunxiſſe.* Hæc ille. Fulgentius videtur hic face præluxiſſe, cùm ait: *Tres uncias vir amoris, novem fœmina habet.* Si nec hanc rationem admittitis, ô Polygamiſtæ, at lachrymabilem tamen experientiam infelicemque exitum, quæſo vos, in luctuoſo Palatinatu, aut, ſi recentius exemplum vultis, in Saxonia, alia alibi, advertite. Sed hæc alibi plenius & planius. Interim Bockelmannus, conſiderans, quod non omnis ferat omnia tellus: & iſtud Ennii: *Multi rem ſuam bene geſſere & publicam patria procul: Multi qui domi ætatem agerent propterea ſunt improbati:* prudentiſsimo conſilio conſtituit terras alio etiam ſub ſole calentes inviſere, ſed adhibito tamen curatiſsimo delectu, ne in noxias exterorum terras incidendo eorum noxiis moribus contaminaretur, veluti multi dum peregrinantur medicorum concurbitulis ſe non abſimiles deprehendunt, quæ noxios humores attrahunt & combibunt. *Omnibus ergo ſcorta placent fractiq; enervi corpore greſſus & laxi crines & tot nova nomina veſtis, quæq; virum quærunt.* Peregrinantes Oto avi comparare norat. Hæc, Plinio Athenæoque teſtibus, paraſita eſt & imitatrix, unde & cum hominum actiones amet non μωμᾶσθαι ſed μιμᾶσθαι, faeilè capitur, veluti ſi venator oculos inungat, & ipſa collyrio ad id deſtinato ſe inungit oculoſque ſibi occludit. Igitur cautus Bockelmann-

ckelmannus ad Heidelbergenſem, quæ tum in flore lætabatur, cum maximè per horrendam Gallorum tyrannidem in cineribus fœde ſquallet, ad Heidelbergenſem inquam Academiam prudenter ſe confert. At ecce, Auditores, quod de iride gemma prædicatur, eam arcus cœleſtis colores parietibus immittere: idem Bockelmanno noſtro Heidelbergæ evenit. Is Heidelbergæ ſubſiſtens, ita virtutis ſuæ genuinas imagines Academiæ Aulæque quin & ipſi Sereniſſimi Principis conſcientiæ impreſſit, ut anno vix vertente Jurium ibidem & Doctor & Profeſſor anno ætatis ſuæ vigeſimo ſeptimo, omnium bonorum cum ſuffragatione publice renuntiaretur. Jam antea tamen eundem collegiis Juventuti aperiendis operam navaſſe, ex præfatione commentario ad Pandectas anno hujus ſæculi ſeptuageſimo ſeptimo præfixa colligere eſt; teſtatur enim ibidem ſe viginti jam annos & ultra in explicandis Pandectis ſudare: cum tamen diſputatio inauguralis demum anno quinquageſimo nono Heidelbergæ habita fuerit Si non veritas odium pareret, juberem hic iterum nonnullos incanos Academicos, qui aureo iſto Juliani: Etſi alterum pedem in tumulo haberem non pigeret quid addiſcere: abutentes, deſidiæ & inertiæ indulgent, in vitam Bockelmanni ceu in ſpeculum inſpicere: tum ne vitam tranſire velint velut pecora, quæ natura prona atque ventri obedientia finxit, digni qui non Bockelmanni ſortem experiantur ſed Fliolmi Gothorum regis qui cum commilitonibus pro more ſtrenue potans in ingens dolium cereviſia plenum per jocum dejectus animam in potu exhalavit: aut Georgii Clarentiæ ducis quem Eduardus Quartus Angliæ Rex cado vini Cretici immerſum extinxit: tum etiam ne primum ſapere diſcant

ubi capillus sit versipellis. Erratis Auditores, si putatis erroris, levitatis aut præcipitantiæ speculum in perantiqua illa Universitate, cujus Facultas Juridica nonnisi subactissimi ingenii & multæ experientiæ praxeosque Juridicæ gnarum Virum desiderat, Vobis me apposuisse. Non solum enim malitia sed & eruditio & sapientia, improbo labore cumprimis partæ, sæpe ætatem supplent: Sed & pretiosiora aromata, nobilesque flores suavem animulam suam sub ipso etiam ortu exhalant inque alia diffundunt. Sereniissimus certe idemque omnium calculo in talibus prudentissimus Elector Palatinus Carolus Ludovicus tantum abest ut ob collatam Bockelmanno gratiam pœnitentia ductus fuerit ut potius anno vix inde elapso quarto Judicii supremi Aulici consiliarium & assessorem fecerit. Sed non erat hæc honorabilis quantumvis functio, Bockelmanni genio nisi gradus ad altiora: quemadmodum uti laborum ita & honorum gradus fieri par est, ardua enim & excelsa non petimus gradu expedito nec adimus de plano, sed gradatim ad eadem enitendum est. Exemplo iterum prælucet Bockelmannus: Eum ille se Electori suo exhibuit ut non multo post tempore Regiminis Electoralis Consiliarius renuntiaretur, quin & illico Sanctissimis & intimæ admissionis consiliis adhiberetur, quin & Judicii Supremi Aulici Præses constitueretur, matrimonialibusque controversiis in competente foro dirimendis perpetuo assideret; dextraque Principis manus cognominaretur. In disputationibus Heidelbergensibus compluscul reperire est titulum: Antecessoris Primarii, nec non supremi Appellationum Judicii & Curiæ Aulicæ Vice-Præsidis & Status Consiliarii. Putares, Bockelmannum nunc nostrum ad id temporariæ beatitu-

eis culmen evasisse, ut nihil reperiri facile posset quo virtuti ulterius ipsius digniora tribui possent præmia. At ecce tibi, ut multa ex improviso supra nos Deus curat! Annus agebatur sæculi hujus septuagesimus primus cùm Illustrissimi atque Præpotentes Hollandiæ atque West-Frisiæ Ordines Bockelmannum noſtrum Leidam ad ornandam illustrem ibidem Antecessorum cathedram invitant & adeo evocant. Hic vide mihi totam vocatione hac didicita mœrore mersam urbem Heidelbergensem, aspice lugentes cives, specta mœstos Studiosos, contuere timidos clientes, inspice consternatam Academiam, mirare ipsum afflictum Sereniſſimum Electorem, Carolum Ludovicum. Memorabile est, Auditores, præfatum glorioſiſſimæ nunc memoriæ Electorem, qui & exemplo Vespasiani ingenia & artes vel maximè fovebat, & Caracallæ instar, hunc Ulpianum suum ob capacitatem non tantum sed & promptitudinem qua sc. in difficillimis negotiis in quibus alii se, ut Cyni JC. elegantia utar, longum torquebant velut mus in pice, nullo negotio expediebat: tum & ob fidelitatem aliasque incomparabiles dotes, in maximo honore habebat, confestim omnes ad unum Consiliarios Ministrosque Electorales convocasse ex iisque quæsiviſſe an ullam vel ipsi vel alii Bockelmanno causam dediſſent, quæ ipsum ut Electoralibus officiis valediceret movere posset? cumque illi nihil se omnino hujus rei scire respondiſſent, Sereniſſimum Electorem eidem mille thalerorum Imperialium, si ipsi proporro Heidelbergæ consiliis adesse vellet, salarium annuum clementiſſime obtuliſſe. Et tamen hoc omnibusque ei obmotis aliis sepositis, Bockelmannus vocationem Leidensem amplectitur, Electorique suo totique adeo

Pala-

Palatinatui valedicit. Quid facis Bockelmanne? quid facis? quid facis? Tune Consiliarii Electoralis Palatini intimi, Regiminis, Justitiæque, Tune Præsidis Vicarii supremæ Archi Palatinæ Curiæ. Tune Antecessoris Heidelbergensis primarii, cæteraque quibus Heidelbergæ gaudebas dignitatum prærogativas depones, nunquam iisdem proporro gavisurus? Quid facis Bockelmanne? quid facis? Tune mille thalerorum imperialium annuum salarium nihil esse putas? Tune tot & tanta ex diversis illis splendidissimis functionibus tuis percepta & proporro expectanda commoda flocci facis. An nescis, emolumenta, quibus Leidæ gavisurus es, ea annonæ cæterorumque ad vitam sustinendam necessariorum caritate tenuari, tot contributionibus accidi, tot oneribus premi, ut damno omni subducto non tantum lucrum tibi Leidæ reliquum futurum sit? An nescis illud Phædri: Non semper ea sunt quæ videntur, decipit frons prima multos, rara mens intelligit quod interiore condidit cura angulo? Aut an onera illa tum capiti tum patrimonio tuo imponenda, à quibus omnibus hactenus immunitatem vel sola Academica tua professio tibi præstitit, parvi facis? an non saltim tamen generosum magis esse existimas in Academia Professorem esse quæ gladii potestate omnique mero & mixto imperio armata est, quam in Belgio ubi Professorum minor potestas, consequenter & minor autoritas est, vitam transigere? Quid? Tune Magnificentiæ, Excellentiæ, splendidosque alios, etiam Professoribus in Germania tribui solitos titulos cum simplice Professoris aut Domini vocabulo permutabis? Dic, qua Tisiphone quibus exagitare colubris? Tune in Germania par-

tam

tam gravitatem, Belgicæ facilitati postponis atque substernis? Nunquid Antecessori honorum atque glorioſum est in Facultate aliqua Germaniæ Juridica relationibus ex actis consiliisque & responsis Juridicis perpetuum nunc assessorem nunc cognitorem nunc judicem nunc autorem nunc Decanum dari? Quinimo tune ingrati animi notam effugere te posse arbitraris, si beneficiis Electoralibus apud te collocatis, spretis atque contemtis, Electori tuo valedixeris atque exterorum gratiam Electoralis Serenitatis Clementiæ prætuleris? Tune subditum te mavis esse Ordinum Hollandiæ & Weſtfriſiæ, quam Electoris Statusque Imperii? At quid quæso est quod te ab omnibus istis abstrahit? quid obsecro esse possit, quod abitionem tibi suadeat? Belgium est. Belgium, Auditores, fœderatum. Belgium fœderatum, ille felicissimus orbis terrarum angulus. Ah Auditores, quid dixi? angulum dixi? Ah non: ignoscite, lapsus erat præcipitis linguæ, non, angulus. Oceilus, dicere volebam, aut, si vos mavultis, corculum, paradisus. Belgium fœderatum, istud Germaniæ, Europæ, aut orbis compendium. Belgium Fœderatum, ista lætissima Europæ portio: Belgium Fœderatum, istud omnium scientiarum, artium atque eruditionis nobile theatrum, Belgium fœderatum istud contra communis hostis furorem interius reconditum Palladium: Belgium fœderatum, totius mundi stupor: Belgium, ipsius Gallorum tyranni amor & terror: Belgium, istud sanctissimum veræ religionis asylum: Belgium! istud, uno ut verbo omnia complectar, bellissimum Belgium. Erramus ô Germani, atque in titulo de Juris & Facti Belgici ignorantia versamur, si credimus indecorum Status alicujus

Imperii

Imperii Ministro esse si officia atque honores ab Illustrissimis Belgis benigne oblata devote acceptet. Enimvero ut nil dicam de fabula illa Æsopia quam Phædrus his verbis claudit : *quid refert mea cui serviam clitellas dum portem meas ?* ut nil addam de altera illa fabula ibidem de cane annis ingravantibus languente, etsi tamen & Aulæ lubricum aliquando canos festinato antevertit. Si nescimus, illi illi sunt Potentissimi Fœderati Belgæ qui Cæsaris Romano Germanici & Hispaniarum monarchæ Imperatoriam Regiamque Majestatem, si aliquam in has terras aut in earundem hanc illamve particulam habuerunt, in se dirivarunt : Illi illi sunt fœderati Belgii Ordines qui Majestatis titulo per modestiam (cujus rei simile exemplum tum alibi tum in Potentissimo Electore Brandenburgico ratione Borussiæ habemus) non utentes, veram genuinamque majestatem sustinent. Et quamvis singulis eorundem Ordinum personis Majestas integra adscribi nequeat, secundum illud JCtorum, Quod universitatis est singulorum non est : majestatis nonnullas tamen particulas (quicquid in Politicorum triviis de Majestate indivisibili, vulgari Plebiscito, contra ipsam omnium terrarum per quas Majestas humana per Divinam Majestatem divisa est, experientiam, cautum sit) in unumquemque, in illum plures, in hunc pauciores, in illum pleniores in hunc minores, in alium minimas, veluti membrorum corporis singulorum non eadem dignitas, non eadem est autoritas, singulatim partiuntur : veluti in Imperatorio corpore ne tantillum quidem membrum est, quod non venerationem apud Imperii Romano-Germanici subditos & mereatur & habeat. Illi illi sunt fortissimi Belgæ, qui non

uni

unl Herculi ſeptem illas præpotentes provincias ceu totidem clavas è manibus torſerunt, libertatemque priſtinam ſi veritatem amamus à nullo niſi Deo dependentem, regiæque aliorum majeſtatis parem aut æmulam in integrum reſtituerunt. Illi illi ſunt generoſiſſimi Belgæ qui cum Germanorum Imperator eos hoc ſæculo per legatum Aversbergium ſuos & S. R. Imperii dilectos appellaret, Legatum, ne quid majeſtas Belgica inde præjudicii ſentiret, recuſarunt. Illi illi ſunt potentiſſimi Belgæ, qui in alias orbis terrarum partibus, Aſia præſertim, non una regna ſub jugum miſerunt, regumque juſte expulſorum vice regnant. Illi illi ſunt potentiſſimi fœderati Belgæ qui ante hos viginti annos truculentiſſimum à quatuor potentiſſimis hoſtibus illatum bellum, fortiter nec pluribus impares ſuſtinuerunt, debellarunt. Illi illi ſunt illuſtriſſimi Ordines, ſub quorum auſpiciis atque Imperio, tot Germaniæ Sereniſſimi Principes, tot Illuſtriſſimi Comites, tot Excellentiſſimi Imperii Romano-Germanici Barones, Nobiles, Dominique caſtra ſequi, enixe gaudent. Quid? negamus hæc? At luſtremus equidem campum illum Martium, Belgium inquam, & hujus rei fidem deprehendemus. Ignariſſimus ſis vel ſuperioris vel hujus etiam anni hiſtoriæ, ſi neſcis Principes Naſſovios, Holſteinios, Würtembergicos, Comites Solmios, alioſque, Belgarum exercitui præfectos fuiſſe. Quid? ipſe Auguſtus magnæ Britanniæ Rex, Guilielmus Dei gratia Tertius, unus inſtar omnium eſt. Sed contineamus nos intra Germaniam noſtram: & indictum ſit Magni Guilielmi III. exemplum. Ineptus autem ſit qui cum ipſi Germaniæ aliquando Domini, Belgii Ordinibus ſuo reſpectu ſubſint & pareant, id eorundem Statuum ſubditis, Bockelmanno etiam noſtro, vitio

verten-

vertendum esse censuerit atque contenderit. Erramus Germani, erramus, si putamus Belgium, quod tot Germaniæ Serenissimis atque Celsissimis capitibus, tot Illustrissimis, Excellentissimis Generosissimisque heroibus condigna bene meritorum præmia exhibere valet, non sufficere eorundem ministris, consiliariis, aut professoribus. Quid? annon instar omnium esse potest quod & ipsum te, aut posteros tuos, aliquando inter Imperii consortes adsciscí posse sperare ausis, si id dextere ambias? Tu dicis tamen: Facultatis Juridicæ in Germaniæ aliqua Academia non leve accessorium esse, quod relationes ex actis judicialibus, consilia item atque responsa Juris ab eadem crebro petantur, cum Belgii Antecessores (qua in dignitate plerique subsistere cum suis aut amant aut debent) talibus destituantur. Verum est, à Facultatibus Juridicis Belgii talia rarius implorantur: sed id inde est quod ob unctius salarium aliaque mollius in Academia maximè Leidensi obvenientia pinguia lucra (quæ eadem ut & patrimonii onera, quæ in Belgio ferenda sunt, levius ferantur, efficiunt) illi improbo isto labore & ament & possint carere, ut ibidem benedictionis illius divinæ, quæ etiam dormientibus obvenit, commoda sentire melius queant quàm alibi, ubi nescio quæ musca (quod de Nimrodo fabulantur) naribus involans, occupato cerebro neque noctu neque interdiu finit quiescere, usque dum adulta enecet. Veteres juxta Apollinem laurum, sub cujus umbra novem Camœnæ chorum agitabant, procul inde jacente Apollinis sagittis confecto Pythone serpente, pingere solebant. Scilicet: *Grajo Schola nomine dicta est justa laboriferis tribuantur ut otia Musis. Laurus opaca comis multo celebratur olore, At laurum invisus Musis fugit anser & odit.*

odit. Fallimur interim, si existimamus talium rerum appetitores, iisdem in Belgio nequaquam frui posse: fallimur. Enimvero si quis Antecessor in Belgio relationibus, consultationibus atque responsis operam dare velit, is uno aliquando mense, exinde plus lucri conficiet, quam aliquando alibi vix, toto anno minutatim comparserit. Bockelmannus sane noster relationibus atque consultationibus nunquam destituebatur, pulchreque adhuc commemini, eum aliquando, unius responsi juris (cujus partem consultiss. D. à Groin JC. Clivius tum Leidæ studiis operam navans exscripsit) mille aureorum Hollandicorum stipendium retulisse. Beati ô terque quaterque beati Belgii, sed & ô Vos Germaniæ Antecessores, si in hoc Bockelmanniannm mille aureorum speculum sæpiùs inspicere potestis! Sed ô boni! non cuivis contingit adire istam Corinthum insulasque fortunatas, sed & Ulpianum audiamus, qui civilem sapientiam rem esse sanctissimæ declarat nec pretio nummario æstimandam aut dehonestandam. Merum, de quo suprà dicebamus, Imperium aut si quæ alia in Germaniæ Academiis excellentior viget Jurisdictio, difficultatis ac incommoditatis plurimum habet, emolumenti præter externum splendorem & apparatum, parum aut nihil: cum gratuitæ ferme sint Jurisdictiones Academicæ. Sed nec Jurisdictione omni Belgii omnes Academiæ destituuntur. De Leidensi constat, sed & de hac nostra, quæ uti Jurisdictione civili Mixtoque imperio ex asse munita est, ita & Imperii meri sive jurisdictionis criminalis partes, nisi delictum corporalem pœnam mereatur, ubique explet, privilegio de non appellando munita. Speciosas præterea Excellentiæ similesque in Germania Professoribus etiam competentes compellationes

facilè erat Bockelmanno ſeponere, cum quia ad Belgas proficiſcebatur, qui Excellentæ titulum Comitibus, Legatis, exercituumque ducibus ſuis, ſimilibuſque, ceu olim ſolis Principibus Auriacis, ſervant, ipſi eodem abſtinentes: tum quia Germanos titulorum aliquando adeo norat prodigos eſſe, ut vere excellentes ex hiſcè inaniis ſolis dignoſcere amplius nequeas. *Inania titulorum*, ait perſonatus ille Dominus de Monzambano, *genius ſæculi ſtiluſque curiæ produxit, non plus fere efficaciæ habentia quàm alia verba honoris in qua ignaviſſimus quiſque ſolet eſſe effuſiſſimus. Hodie* (verba ſunt alterius Profeſſoris Germani, Michaelem Piccartum intelligo perilluſtris Domini Sclochterani patruum magnum) *quod ſal defricet ſcabiem hanc? Titulorum qui regi olim idonei erant, vix hodie nobilem ſatient. Principes olim Optimos & Clariſſimos dicere, multum erat: at quis hodie contentus illis ſit Indimagiſter?* Hæc ille. Quæ ultima dum loquor, ſubit animum memoria diſtinctionis illius in excellentiam Politicam & Scholaſticam ſive Umbratilem. Sanè quanta differitate Excellentiæ inter ſe diſtare cenſeantur, vel noviſſimè Neomagi, cum ibidem de pace cudenda ageretur, Plenipotentiariiſque & Legatis nonnullis Excellentiæ titulus in dubium vocaretur, acta publica edocuerunt. Et mirenur adhuc, eſſe hodie Profeſſores nonnullos Germanos, qui ſi vel ex clara gente editi ſint, vel conſiliarii aliovè eminentiori charactere præfulgeant, ab his malunt ſe cognominari, quàm ut in communibus iſtis muſtaceis laureolam captent? in exemplum credo intuiri Platonis qui cum flumen non exacto ab ipſo naulo trajeciſſet, id eruditioni autoritatique inde ſibi partæ ſuæ imputabat, at ſpiritus hujus vela mox contrahens, ubi cæteris quoque vectoribus à navi-

naviculario nauli gratiam factam esse animadverteret, ut adeò huic apud Platonem beneficium positum esse, Plato negaret. Istud verò gravius est, quod ab ingratitudinis nota petitur dehonestamentum, si modo id in Bockelmannum cadere potuisset. At verò didicerat ille à Papiniano : Quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & ut generaliter dixerim, contrà bonos mores fiunt, nec facere non posse, credendum est. Docuerat ipsum Ulpianus : Patroni personam semper sanctam debere videri : &, ad ἀντιδωτα naturaliter nos quasi obligari. Monuerat ipsum ipse Cæsar Justinianus: benefacientibus gratias agendas esse. Quæ ille similiaque apud animum suum expendens, quemadmodum Illustrissimos atq; Præpotentes Hollandiæ Westfrisiæq; Ordd. non tantùm, sed & Perillustres atque Amplissimos Academiæ Lugdunensis Curatores omni gratitudine atq; cultu prosecutus est, hosque dominos & patronos, adjutores, fautores, & Mæcenates, quin & Creditores suos benignos atque optimos publicè privatimque habuit atque appellavit; ita & ad extremum usque vitæ halitum omni reverentia Serenissimo Electori suo Palatino erat devotissimus, ejusdemque effigiem, titulos, encomia, res gestas, dicta, beneficia, donaria, ita perpetuo in animo, oculis, calamo, aut lingua habebat, ut nullo non tempore gratissimum eum deprehenderes, intutus in exemplum Romuli Remiq;, qui cum ad Tiberim expositi à lupa alti essent, tanti beneficii memores, Lupæ simulacrum Romæ posuerunt, aut ut vero similiora proponamus, in exemplum Bolelsai IV. Poloniæ Regis qui effigiem Patris, ut ejusdem virtutum non tantùm sed & meritorum & beneficiorum memor esset, è col-

lo in numismate aureo suspensam circumferebat. Cætera gratitudinis Bockelmannianæ exempla ut omittam, unius tamen meminisse debeo, quod doctori quondam suo præfato D. Wernero Pagenstechero exhibuit, dum eundem autoritate Serenissimi Electoris Palatini ad Cathedram Antecessorum Heidelbergensem ulteriori Electoralis clementiæ luculentissima adjecta promissione etsi præfatus ille patruus meus id quicquid erat honoris deprecatus est, vocari curavit. Et hac apprime in parte tu mihi speculum in quod inspiciam, optimè Bockelmanne, apposuisti. Sive enim ad vos, ô Illustrissimi Præpotentis Groningæ atque Omlandiæ Ordines, Vosque PerIllustres hujus Academiæ Provincialis Curatores respiciam: non possum non gratissimo animo agnoscere benevolentiam illam vestram qua me ad inclytam Anteecessorum cathedram in magnifica & amæna contraque hosticos impetus validissimè roborata hac Groninga benigne ultro invitastis: quem sane honorem, etsi vel maximè conditionem meam aliqua alibi in parte pejoratam, omni devotione gratus agnosco, summaque ope, divino proporro favore assistente nitar efficere ne vos beneficii apud me collocati unquam incessat pœnitudo: Vos modo ô Domini, Mæcenates, Patroni, Adjutores, atque Creditores mei benigni optimi, mihi porrò favere meque tueri pergite. Gratum animum meum deprehendetis ubique modo occasionem illum testandi mihi benignè subministraveritis. Nostris qua promptitudine vocationem honorum acceptaverim, nec me ejus hactenus pœnitet. Enimverò quid dissimulem? Cum ante hos octodecim annos studiis in hac Provinciali Academia vestra incumberem, ea mihi provinciæ hujus visa fuit dulcedo, ut profecto non nisi ægerrimè ab eadem avelli & Dusseldorpium

pto-

dorpium ad Parentem meum ibi nomine Ser. Electoris Brandenburgici Legarum Residentem, patri parendum erat, avelli potuerim. Det veniam Westfalia, ignoscat mihi Benthima mea, dum me tenet Groninga, dum me tenet Groninga, dum sub cœlo vivo Omlandico, non potest me dulcedine sua valde ducere natale solum. Da veniam & tu ô Clivia, ô dulcis Clivia, cara Clivia, si hæc nova tertiaque quasi nunc patria mea sæpiùs hoc maximè turbido belli statu immemorem me facit esse tui. Date veniam ô amici mei quos corpore tenus dereliqui, si & heic loci mihi dicam bene aut melius esse quàm equidem Duisburgi fuerit. Vos autem Perillustres atque ampliſſimi Domini Curatores devote rogo, velitis curare, ut qui me heic cœpit dulcor, providentia vestra sustentetur, quo prolixiora gratitudinis meæ documenta Vobis imposterum præbere possim. Sive nunc etiam tandem ad Serenissimum Electorem Brandenburgicum Dominum Fridericum Dei Gratia Tertium me converto, quid possim aut debeam in præsens aliud quàm ut & ejus Serenitatis respectu in gratitudinis Bockelmanniauum speculum inspiciam meque Ejus Serenitatis Electoralis debendi reum gratissimo animo publicè profitear. Ita est, Friderice Tertie, Serenitas tua Electoralis Majestate paterna hæreditario jure sed & tuo merito susceptа Brandenburgico throno vix insederat, confestim clementissimum sceptrum tuum mihi inclinasti. Divus parens tuus Fridericus Wilhelmus Magnus glorioſissimæ memoriæ Princeps nonnisi Juris Publici Moraliumque Provinciam, cum alia in Academia tua Duisburgensi non vacaret, mihi ex Steinfurtensi Gymnasio accersito demandaverat: At tua Serenitas Electoralis etiam privati Juris docturam illico impertiit,

extraordinariam illam primiter quidem, sed non audito antea, nec audiendo facilè in posterum clementiæ Electoralis documento, dum me relationum exactis judicialibus consultationumque Juridicarum, quotquot à Facultate Juridica Duisburgensi peterentur, participem, perpetuumque assessorem, eaque in parte ordinarium Juris etiam privati Professorem renuntiasti. Quid? Vix morte Cl. Viri Arnoldi Brandii ordinaria Juris privati cathedra tertium successori locum fecerat, continuo Serenitas Tua Elect. me nulla omninò, ne minima quidem, interposita mora, cum alias ea statio ad longiùs tempus compluscul osvè annos vacasset, antecessorem ordinarium clementissimè renuntiavit, ut omnibus mirum videretur, qua ratione tam brevi temporis spatio omne hoc negotium per tanta locorum intervalla per tot ambages, Berolini, Clivis, Duisburgi, expeditum fuerit. Ab eo tempore iis privilegiis gavisus sum, ea me perpetuo Doctorandorum, Candidatorum, Studentiumque corona cinxit, iis ex salario quot mensibus promptissimè præstito, ex creberrimis relationibus, responsis, consiliisque Juridicis, promotionibus doctorum, collegiisque quæ audiunt privatis, emolumentis gavisus sum, ut necesse non habuerim ab illo tempore vocationem aliam anhelare aut amplecti. Cum tamen Groningam Duisburgo tuo præferendam esse cum amicis necessariisque meis judicarem, demissionemque meam supplici libello simpliciter solam deposcerem, Ser. Tua Electoralis & hanc impertiit, & cum aliis Electoralis Tuæ Clementiæ indiciis, tum amplissimo insuper laboris in Academia tua exacti testimonio ultro clementissimè subditum tuum prosecuta est. Fortuna tua augustissima, Auguste Princeps, in

qua

qua Te ſupremum Numen collocavit, non patitur ut gratitudinem meam Tibi aliter quàm devoti cordis humillima oblatione teſter, patere, Te nunc ultro coli amarique ab eo, quem antea ad obſequium poteras cogere. Excidat illa dies ævo, quam abominor, qua non ſub hiſcè præcordiis Fridericus cubabit Tertius. Hæc quæcunque ſalit liquidis mihi purpura venis: geſtit in obſequiis proſiliiſſe tuis. Quid poſſim interim, quid poſſim Ser. Elector quam ut ex imo corde petita pro Electorali Ser. Tua vota nuncupem? Vive felix, Friderice Tertie: vive felix. Benedicat ſceptro tuo Jehovæ Zebaoth. Det ille Tibi fidos miniſtros, obſequentes ſubditos dejectos hoſtes. Vive felix. Auguſte Novemvir, vive felix. Servet Deus Sereniſſimã Electricem, dignitatiſq; tuæ Electoralis uti aviti immortalis nominis Sereniſsimum heredem Fridericum Wilhelmum totamq; Sereniſsimam familiam tuam. Vive felix, Auguſte Marckgraffie, vive felix. Serus in cœlum redeas diuque lætus interſis populo tuorum: Nec te in illorum truculenta tollat Hora ruinam: His agas multos potius triumphos, His ames dici pater atque tutor: Neu ſinas hoſtes equitare inultos Tertie Brenno. Serus. Ah permittite mihi ô Illuſtriſsimi Potentiſsimique Belgæ, ut iterato eadem pro tam caro, Vobis etiam amico ſinceriq; fœderis nexibus adſtricto auguſto capite, vota concipiam. Serus in cœlum redeas diuq; lætus interſis populo tuorum: Neu te in illorum truculenta tollat. Hora ruinã. His agas multos potius triumphos, His ames dici pater atq; tutor: Neu ſinas hoſtes equitare inultos Tertie Brenno. Quæ inter calidiſsima devoti pectoris mei ſuſpiria à Serenitate tua Electorali, ad Bockelmannum iterum meum me converto: cui abi-

tionem in Belgium tanto minus æqui rerum æstimatores vitio vertent, quo magis certum est fecisse idem & alios, quippe bonos. Sola recens adhuc illa Academia, ut alias omittam, Duisburgensis, Belgio dedit Wittichios, Diestios, Grævios, Craenenios, Mastrichtios, Feltmannos, Mensingas, Schultingios, Graffios, alioſque, qui Theologiam, Jurisprudentiam, Medicinam, humanioresque literas maximo cum applausu in Academeis Leidensi, Ultrajectina, Groningam-Omlanda, Neomagensi, Harderovicena, aut in Gymnasio etiam Daventriensi, posteà docuerunt aut adhuc docent: Sola ut Franequera etsi Heidelberga D. Sylvestr. Jacobum Danckelmannum, alios aliunde, evocaverit, ex Duisburgensibus tamen Professorem hactenus quod sciam non habuerit: Sed nec Leida immediate aliquem Duisburgo evocavit: Wittichius enim Craeneniusque Viri Clarissimi ab Illustrissimis Geldriæ Ordinibus, ad illustrandam Academiam quam Neomagi parabant, nunc collapsam, primiter constituti sunt. Bockelmannus tamen noster recto cursu Heldelberga Leidam devenit anno hujus sæculi septuagesimo primo. At ecce tibi tunc, gratanter omnem Academiâ Leidensem, videlis ingentem illum ex omni terrarum angulo Studiosorum concursum, mirare Germanos pariter ac Belgas amore atque admiratione Bockelmanni certantes, proceres, cives, hospites, summos, imos, medioſumos: quorum ille omnium amorem sibi conciliabat aut conservabat, omnium amore dignus. Nam quæ alia sit sors hominis, cui nil antiquius est quàm pacem, concordiam, amicitiam, cum omnibus colere. Hæcque omnia uti faciebat candide, ita & si juste alicui adversari cogebatur, & id faciebat candide & quasi in amicitiam cum eo rediturus. Planè absimilis

cervis

cervis quos fel habere negant, cauda tamen tegere succum subviridem adeo virulentum ut gustatus syncopem aut mortem adferat nisi antidoto prævenias. Hi sunt inimici pessimi, fronte hilara, corde tristi, quos neque ut apprehendas neque vitare scias. Nonnemo, cum Justitiam Pacemque pictas, mutuis se osculis invadentes conspiceret: ecce, inquit, ut osculis hæ se invicem excipiunt valeque dicunt ultimum sibi, quasi terras relicturæ, seque deinceps nunquam revisuræ. At in Bockelmanno viva utriusque visebatur imago, quasi utraque cœlitus iterum in ipsius vultus delapsa, mutuis de salvo revisu amplexibus sibi gratularentur. Et pacis quidem concordiæque fructus, tum ipse percepit & ab aliis redamatus, & quia invidia virtutis comes est, istis virtutibus adversus illam satis munitus, veluti de basiliisco referunt, quem vidisse mortiferum fit, hinc contra illum speculis homines se obarmare, ut basiliscus in istis speculis se ipsum videns, suopte pereat veneno: tum & ejus pacis concordiæque commoda inter alios, celeberrimi ipsius Collegæ gavisi sunt, nulli ut adeo gravis, omnibus vixerit acceptus: quin & cum publicò scripto vehementius ab uno lacessitus videretur, istud ille tribusculum tanta modestia excepit & avertit, ut Papinianum, Salviumve Julianum, aut si qui alii magis ab animi moderatione commendantur JCti, in Bockelmanno habitare crederes. Secus atque alii quos vel levis offensa exanimat, murenæ similes, quam fistis non interimit sed ferula. Aliter Bockelmannus qui in Themistoclis apud Ciceronem appositum speculum, Oblivionis inquam injuriarum, generosæ mentis suæ oculos crebro defixos tenebat. Esto hic iterum speculum in quod & ego intuear, quin & Vos sultis honoratissi-

ratissimi Collegæ, Magnifice Rector cœterique Universitatis celeberrimi Professores. Mutuam inter vos sine fuco charitatem publicis nuper typis laudatam vidi, ipseque ego coram deprehendi. Obsecro humanitatem vestram, recipite & me in amabilem illam vestram societatem mutuis vobiscum certaturum officiis. Bentima mihi mater extitit, Dusseldorpium, Saxonia, Belgium, & post Steinfurtum & Clivia, nutrices: Non potest talis mixtura genium parere ab amabili illo vestro abhorrentem consortio. Quæso vos, collocate apud me particulam amoris vestri, cum usuris eandem recepturi centesimis. Excitabitis hac ratione & studium meum Vobis publicoque inserviendi, & favorem aliorum doctorum in hac maximè Provincia virorum erga me: ubique me habituri boni nominis debitorem. Justitiam dixi statim Paci in Bockelmanno junctam fuisse. Ita est. Ubique eam coluit, ubique eam præsidendo, adsidendo, decidendo, respondendo, consulendo aliasve JCti partes explendo, accurate, dextere, severe, administravit, non *deflens* sed ridens *Virum quo non alius citius potuit dicere causas una tantum parte audita sæpe & neutra.* At vero cum Heidelbergæ gravioribus Principis sui Electoris curis immersus fuisset, Lugduni demum Batavorum plene testari potuit non tantum quantus JCtus esset, sed & quam aptus & quam navus Antecessor. Et quidem JCtum solis legum Romanarum apicibus non constare optime ratus, non jus tantum Civile sed & Canonicum, feudale, publicum, Naturale item & Gentium eadem ubique cum dexteritate explicando, examinando, disputando, tradebat. Illis annis quibus ego Leidæ ipsum audivi instituebat Collegia ad Justiniani Institutiones, disputatorium ad Treutlerum, Pandectarum ad suum commentarium &

ubi

ubi ille deficiebat ad Huberi positiones, Juris item Feudalis, nec non Publici, ut & Canonici, sed hæc tria ad sua manuscripta atque dictata : ad quod filum etiam Jus Naturale publicis prælectionibus ipsum docentē audivi. Improbus sane labor ! adeo *Populi est mancipium quisquis patriæ est utilis.* Sed pensabatur illa cura ipsi ingenti oblato à Studiosis honorario : Elephantis ut & ille & hi non absimiles dici possint, qui cum ad fossas venerint, qui cœteris robore corporis præcellit, descendit, mediusque stans ceu pontis vice reliquos transmittit, his postea gratiam rependentibus per adducta plurima sarmenta illum eripientes & servantes. Præprimis singularis docendi methodus, qua Auditores discipulosque suos via compendiaria intra tres, aut, si longiores moras quis præoptaret, quatuor annos, ad artem juris perfectam deducebat, adeo ipsum commendabat, ut ex omni Europa cupida Legum juventus, ingenti numero, ingenti omnes Belgæ Germanique ardore discendique cupiditate ad ipsum confluerent, ut putares literatiorum quasi creditorum concursum institui. Quænam illa quam memoravi ipsius methodus fuerit, quoque gavisa fuerit successu, ipse Bockelmannus elegenti gemina Compendio suo ad Instit. & Commentario ad ff. præmissa præfatione prolixius demonstrat, ad quas brevitatis amore omnes horum sacrorum avidos amice ablego. Summam eorum Justinianus noster jam olim indicavit cum ait : *Incipientibus nobis exponere jura populi Romani, ita videntur posse tradi commodissime, si primo levi ac simplici via, post deinde diligentissima atque exactissima interpretatione singula tradantur. Alioqui si statim ab initio rudem adhuc atque infirmum animū studiosi, multitudine ac varietate rerum*

rerum oneraverimus, duorum alterum, aut desertorem studiorum efficiemus, aut cum magno labore sæpe etiam cum diffidentia, quæ plerumque juvenes avertit, serius ad id perducemus, ad quod leviore via ductus, sine magno labore & sine ulla diffidentia maturius perduci potuisset. Hæc ille. Quam vellem, Auditores, omnes non tantum Juris Studiosos sed & Professores in hoc nockelmannianum aut si mavultis Justinianeum speculum serio inspicere: non tot studiorum desertores, tot diffidentes Studiosos, tot serotinos Candidatos atque Doctores, nostra videret memoria. Quam gratulor mihi, & me hac regia aut Imperatoria magis via ductum ab illo olim, & Auditores usque adhuc meos eadem abs me iterum ductos esse. Agite agite, ô nobilissimi Jurisprudentiæ Studiosi, quibus me duce vastum Juris æquor ingredi in posterum volupe erit: agite sultis, & eorum qui usque adhuc opera mea usi sunt, exempla respicite. Respicite inter illos, alios jam Principum Comitumve officia sustinentes, alios laborantum clientum spem glorioſæ vocis stilive confisos atque suffultos munimine erigentes, alios etiam Professorali jam gaudentes dignitate. Respicite inter illos monitorum meorum nonnullos diligentes assecłás qui vix triennio studiis Juridicis impenso, Juris Utriusque lauream, omniũ bonorum calculo mirinissimi, indepti sunt. Triennio? dicitis, ita est, Amici, triennio. C. Furius Cresinus cum ex parvo agello uberiorem quam vicini cæteri fructum colligeret, veneficii accusatus est, quo aliorum fruges ad suum agrum convocare credebatur. Verum is cum robusta filia, gravi ligone, ac vomere, & bobus bene curatis in forum progressus: *hæc*, inquit, *sunt mea veneficia.* Itaque omnium sententiis est absolutus. Ne & vobis

vobis ratione præfati triennii quid siniſtræ opinionis inſideat, accipite quibus artibus uſus ſim. Primo anno autor ſum novis Juſtinianeis (quos humaniorum literarum præceptis jam ante imbutos deſidero) ut omnes artis noſtræ libros ſeponant præter unas Juris Inſtitutiones juncto compendio Bockelmanniano & notis ad inſtitutionum textum fabre factis Vinnii, Corpore Juris evolvendo ubi moneo. Hæc ſunt quæ ipſis privatis collegiis publiciſque prælectionibus explico, nonnunquam eos ad ſelecta quædam Aphoriſmorum meorum loca ablegans, ubique utilitati ipſorum non meæ famæ invigilans. Magnus liber, magnum eſſe malum, veteres cenſebant: Quod etſi omnibus applicari nequeat, profecto tamen reſpectu novorum Iuſtinianeorum veriſſimum eſt, ut iſti qui Studentibus novitiis ſtatim in limine ſtudiorum vaſtos commentarios commendant, inſuſurrari aveam illud Siracidæ: Apicula nobis melior quàm aquila. Si qui ergo curriore iſta via duci amant, hos moneo, primum, ut ubique attentiſſimos ſe præbeant auditores. Faneſiorum gentem in Oceano Septentrionali inſularem tam prægrandibus auribus eſſe perhibent, ut iiſdem tota corpora contegere poſſint: tales mihi totos auritos opto auditores, qui toti quanti ab ore docentis pendeant, ejuſque explicationem omnē memoriæ aut palimpſeſto mandent. Deinde moneo ne auditor meus unquam cubitum eat, niſi memoriæ ſuæ curtas paucaſque illas pagellas quas eadem luce explicari audivit, memoriæ optime mandaverit: nullumque Saturni diem ſibi elabi ſinat, quo non noviſſimæ ſeptimanæ ſuperatos labores ex integro repetierit. Si quis memoriæ imbecillitatem cauſatus fuerit, eum rogo ut recordari velut illius à Cherilo Poëta

nobis

nobis unice reliqui : τέτραν κοιλαίνης ῥᾳδίως ὕδατος, aut ſi Græca neſciant, jubeo eos inſpicere in ſpeculum Sertorii duos equos exhibens, unum validiſſimum, alterum infirmiſſimum, illiuſque caudam ab imbecillo ſene paulatim carptam planeque evulſam : hujus vero à juvene eximiarum virium univerſam uno impetu convulſam ſed irrito labore integram dimiſſam. Rogo eos, conſiderare velint, paucas curtaſque pagellas toto die abſolvendas, Bockelmannique Compendium & Juris Inſtitutiones, exiguæ molis libellos, integri fere anni penſum eſſe. Quæro annon hæc ſit *levis* illa via de qua ex Juſtiniano jam dixi. Secundo anno ad Pandectas auditores meos, ſi primi anni moneles ſecuti fuerint, omnino admitto : in quibus audiendis unius Autoris filum, ad eandem, quam Inſtitutionibus præſcripſi, methodum, eos ſequi, amice jubeo : repetitis ſtrenue primi anni laboribus, conjunctis tum ex aſſe meis ad Inſtitutiones editis Aphoriſmis. Sed & tum eoſdem hortor, ut eodem anno examini ſe noſtro intrepide ſubjiciant : ſi cauſentur ſtudiorum primulâ principia quæ reſponſionum accurationem non permittant, dico ipſis Ariſtoteli ſphæram æneam non ſemper in pelvim incidiſſe. Tertio anno Inſtitutiones Pandectaſque volo ab illis repeti, hoc tantum immutato, ut nunc diſputationibus ſe exerceant : Viniique commentarium ipſum nunc adjungant. Diſputationibus ideo eos tum exerceo, non tantum ut veritas magis eluceſcat, & ſi qui præterea vulgo diſputatoriorum exercitiorum uſus perhibentur, ſed & magis geminum alium in finem : primo quidem, ut majori amore erga ſtudia inflammentur. Incredibile enim dictu eſt, quale calcar ſit Studioſo, qui jam biennium juris maxime certi fundamentis ediſcendis impendit, ſi poſt tam breve ſpatium

tium ex omni Institutionum Pandectarumque materia differere, nodumque unum alterumve ex fundamentis jam jactis solvere ipse valeat, velut histrix quæ *propriis armata telis externam non quærit opem, fert omnia secum, se pharetra, sese jaculo, sese utitur arcu.* Hic videas tales (expertus loquor) discendi proporro cupiditate flagrantes : veluti *cum ventis pulsa vacillans Æstuat in ramos incumbens arboris arbor, Exprimitur validis extritus viribus ignis : Et micat interdum flammai fervidus ardor, mutua dum inter se rami stirpesque teruntur.* Alter, præter communes scilicet, scopus heic meus est, ut disputando per universum jus vagari, magnamque eorum partem, quæ alias quot diebus aut septimanis repetunt, cum disputationibus opponendo aut defendendo se accingunt, collectim animo subjicere possint, ut ita quæ hactenus hauserunt juris fundamina, in unum aliquod solidum consistensque corpus coalescant : quemadmodum de insula Goa vicinisque locis narratur, crescere ibidem arborem, Plinianæ isti affinem, cujus rami tenuia deorsum filamenta mittant, quæ cum terram attigerint, radices agant, inque novos caudices succrescant, multamque circa se sobolem eodem modo propagent, unica ut arbor densissimam efficiat sylvam, ut suis propaginibus integrum occupet milliare Italicum, umbraque sua exercitum tegere possit. Si per patientiam vestram licet, addam, & istud me spectare per has disputationes, ut deinde in foro, ad quod plerique Judices, Advocative, officia anhelantes, tendunt, altercationibus forensibus adesse promtius commodiusque queant. Hinc ipsos hortor, ut controversiæ statum ante omnia bene percipiant, & an argumenta objecta sint contra thesin, qua in parte multos cæspitare deprehendo, ut dum cum umbra

delu-

deluctantur, aliquando causa cadant. Iubeo eos inspicere heic in speculum Mithridatis & Pompei, inter hos cum nocturna dimicatio esset, adulta nocte Luna exoriens Romanis à tergo, hostique à facie erat: hinc à Romana acie majores equorum virorumque umbræ cadebant, quas cum Pompejani quasi corpora peterent, cuncta in vanum tela effuderunt victique sunt. Moneo ipsos, aliquando sub militari bardocucullo latitare nil nisi simum, *qui tegitur parma & galea metuensque flagelli Discit ab hirsutâ jaculum torquere capella.* Hic triennii labor est: hic studiorum Academicorum finis. Tum unumquemque apud animum suum expendere cupio, cui spei vota sua destinet, quanam in parte remp. sibi velit credi: ut tum, fundamentis per triennium jactis, aut praxin exercendo, aut artis nostræ severis præceptis strenuam proporro operam navando, aut humanioribus etiam literis penitius se imbuendo, sedulo superstruat. Scio, non est idem omnium Studiosorum genius, non est eadem in discendo navitas, in percipiendo agilitas, in retinendo felicitas: sed & hoc scio, invitis non dari beneficium, & volentibus non fieri injuriam. Juris tamen Professores id officii sui esse me judice putare debent, ut auditores suos brevissima via ducant: cum enim rerum discolor postea usus sit, nec voto vivamus uno, frustra in Academiis talibus nos maceramus quorum usum habituri postea non sumus. De Clisopho Selymbriano narratur eum statuam muliebrem è Pario marmore graphice effectam in Samo ita adamasse, ut & fœdam libidinem in ea expleverit: quam injuriam etiam Veneri Cnidiæ Praxitelis operi alium intulisse Lucianus commemorat, nec minus de adolescente alio Athenienſe memoratur eum simulacrum Bonæ Fortunæ prope Prytaneum

neum tam perditè adamasse, ut cum eodem potiri non posset, ad basin se ejus interemerit. Sunt & hodie adhuc alicubi in Academiis Studiosi Juvenes, qui circa frigidas imagines, quæ *cupidas venasque mentes specie trahunt inani*, insaniunt. Professoris munus esse credo, tales ab iisdem abstrahere, ne hi ad instar Ixionis nube pro Iunone frui necesse habeant. Caveamus nobis, ne & nobis occinatur, quod Xenocrati olim evenit: hunc Eudamidas Lacedæmonienſis jam grandem natu philosophiæ deditum intuitus, interrogavit, *quisnam esset Senex iste?* cumque responderetur, esse ex Sapientibus illis, qui virtutem quærerent, subjecit: *ecquando igitur is virtute utetur si in illa ætate etiamnum hanc quærit?* Tu nunc ô cupida Legum juventus, ô generosus Sanguis, potest me ad lubitum tuum proporro uti aut abuti. Sint auditores, non deerit navà docentis sedulitas. Pubis, Lex cui prima, salus. Operam meam omnibus addico, nulli unquam defuturus. Si quæ Vobis aut ex privatis Collegiis aut publicis prælectionibus dubia subnata fuerint: omni tempore paratus sum vel centies interrogari, scrupulumque omnem eximere, domum candoremque meum vobis hanc in rem offerens. Prædia vos meque inspicere cupio, de quibus Callistratus: Sicuti diligenti cultura pretia prædiorum ampliantur, ita si negligentius habeantur, minui ea necesse est. Hanc promptitudinem meam etsi ad omnes singulosque legum cultores pertinere volò, nescio tamen an non singulariter ad vos pertineat, qui ex Academia Duisburgensi ad hanc me secuti estis aut sequemini, nobilissimi Doctorandi, Candidati, Studiosi. Vos, qui præsentes estis, dum intueor, & gaudio & mœrore me affici sentio. Lætor equidem, coram fidissimos me videre amicos

meos: diſcrucior interim animi cum ex tanto audito rum numero qui me Duisburgi tanta benevolenti complectebatur, vix decimam mihi partem ſupereſſ ſentio. Non diſſimulabo, ultimo me Duisburgi collegio non ſine animi dejectione interfuiſſe. Obſervabatur animo meo Xerxis exemplum, qui numeroſiſſimo at poſt aliquod tepus non ſuperfuturo exercitui ſuo illacrimaſſe perhibetur: Obverſabatur animo meo amor quo me complexi, honor quo me proſecuti ſingu li fuiſtis. Satis mihi videbatur ſi à vobis ut frater diligerer, ſed vos me ut patrem venerati eſtis. Nunquam illæ dies excident animo meo, quibus, cæteris quantumvis alio dilabentibus, veſtrum quinquaginta ſæpe & ultra, interque eos generoſiſſimi aliquot Barones ſuis inſtructi aulæ magiſtris, ex prælectionibus publicis invitum & multum obnitentem me ſæpe domum deduxerunt. Alias amoris veſtri ſignificationes ut taceam, quibus verbis celebrabo quod pars veſtrum, eadem mecum navi conſcenſa, abeunti teſtari voluit quam tenella res amor ſit, quaſi veriti ut ex itinere mihi quid incommoditatis emergeret, quod vos honore conſortio veſtro depellere aut ſubnervare geſtiretis. Gratum me omnibus ſinguliſque publice teſtor rogans ut mutua amicitiæ officia abs me aut expectetis aut exigatis. Plane Bockelmannns, ad eum enim revertendum eſt, ita ut ſupra dixi vivendo, non poterat non exreris quoque in celeberrimo illo bonarum literarum emporio Leidenſi & innoteſcere & ab iiſdem amari, diligi, coli. De Germanis, credo, minus dubitabitis, Auditores: Sed nec de Belgis ambigite. Videte quæſo elegantiſſimum dialogum in amœniſſimo Bockelmanni prope Leidam horto, Bockelmannum, Huberum, Cruſium, Wyngaerdeniumque inter habitum, quem

di-

digressionum suarum Justinianearum editioni novissimæ subjunxit memoratus Amplissimus Huberus. Addite præfati Excell. Huberi prælectiones ad titulum Institutionum de obligationibus quæ quasi ex delicto nascuntur editas anno hujus sæculi septuagesimo octavo. Vultis alios? Audite Cl. Noodtium, antecessorem primo Neomagensem, tum Franequeranum, mox Ultrajectinum, nunc Leidensem, ita autem ille in Probabilibus Juris parte prima (p.m. 122. editionis de an 1674.) *Sic finio* : ait, *jam enim pridem nobilissimus atque Excellentissimus JCtus & Antecessor Joannes Fridericus Bockelmannus, amicus meus, vir profecto gravitate, prudentia, autoritate, gravitate summa, studiisque doctrinarum spectatissimus profligavit hanc sententiam satis, nævosque complures veterum detexit in prolegomenis ad Pandectas* §. 4. *& in tersissimo atque utilissimo illo tractatu de actionibus cap. 3. part. 16. pag. 241. ut tanto vero aliquid velle adjicere, hominis esse videatur parum intelligentis.* Hæc D. Noodtius. Audiamus & Celeberrimum van Eckium : ita autem Hic *ad tit. fl. de acq. vee amitt. poss. Rem ipsam accurate expositam & ab omni cavillatione liberatam vide apud Clar. Bockelmannum in tractatu de actionibus cujus consummationem invidit nobis inevitabilis fatorum necessitas, qua virum optime de arte nostra meritum (nemo qui vel docentem audiverit, vel scripta ejus legerit, dicet secus) summo Jurisprudentiæ damno, bonorum omnium dolore maximo, ad superos evocavit: nunc pendent opera interrupta minæque murorum ingentes æquataque machina cœlo.* Quid audio, dicis, Bockelmannus jam ad superos evocatus est? tantusne vir tã mature mori debuit? ita est: auditores. Vix duo lustra Leidæ Bockelmannus exegerat, in statu fere ætatis vigore, anno ætatis quinquage-

simo dimidiato, qui à nativitate Jesu Christi erat octogesimus primus hujus sæculi, a. d. 23. Octobris, postquã quatuordecim ferme dies decubuisset, animamque suã Salvatori ardentissimis precibus, adjutorio duorum verbi Divini Ministrorum adjutus enixissime commendasset, integro ad extremum vitæ halitum rationis usu, exstinguitur. Plane, qui divinis non tantum præceptis sed & philosophiæ saluberrimis monitis animum suum à teneris unguiculis imbuerat, mirandum non est si adventantem mortem forti & generoso pectore excepit: echino similis, qui adventantem tempestatem præsentiens, arena se antea saburrat. Diu autem ante placidum illum beatumque excessum, ultimæ voluntatis suæ sententiam justo testamento complexus est, fratremq; suum uterinum Iconium Iconem de Folckers, de quo supra dixi, hæredem scripsit, ex asse quidem sed cujus maximam partem legatis exhausit, ita tamen ut & in hisce veluti per omnem ceram pietas ejus eluceseceret, veluti dum Academiæ Leidensi quinque millium aureorum Hollandicorum sortem legavit ea lege ut descendentibus ex præfato fratre ipsius Iconio masculis, si adfuerint & ad Academiam Leidensem studiorum Juridicorum gratia venerint (in eorum defectum alios legum cupidos admittens) ex dictæ sortis usuris sumtus necessarii suppeditentur. Executores testamenti designavit Clariss. Professorem Craenenium & pl. Rev. Mullerum verbi divini ad ecclesiam Jesu Christi Leidensem superioris Germaniæ lingua utentem, magno cum Academiæ commodo internuntium laudatissimum: qui equidem mira cum alacritate & dexteritate officio suo defuncti sunt, ea tamen parte infelices quod manuscripta Bockelmanniana inter cœteram amplissimam illustris Bockelmanni bibliothecam, sub

hasta

hasta vænire secundum Belgii nostri mores passi, iis linquere coacti fuerint, qui eadem hactenus publico invident: qualis est tractatus manuscriptus Bockelmanni de Jure Naturæ, & alter de Jure Publico. Dolendum est, maximâ ita partem periisse sudores excellentissimi Bockelmanni. Ille amore reip. eruditionem suam non tantum auditoribus suis impertiri, sed & literis consignare, eoque pacto exteris quoque prodesse gestiebat: novus hujus sæculi Papinianus, hominem beneficio afficere hominis interesse existimans. Et ne in JCtis nostris solis hæreamus, placebat illi istud Senecæ: *Vivit is qui multis usui est, vivit is qui se utitur: qui vero latitant & torpent, mortem suam anteceſſerunt.* Dolendum, periisse egregia opera, quæ parenti ex sedentaria vita pravos atque supererogatorios humores, & ex his iterum podagram chiragramque procreaverant. Supersunt equidem complura typis vulgata: desiderantur tamen nonnulla etiam præter memoratos illos de Jure naturæ & de Jure Publico. Miror quo fato nobis subtractus sit Tractatus Juris feudalis & Compendium ipsius ad Pandectas: Sane ne in Catalogo quidem librorum auctione publica distractorum ulla eorum mentio fit: veluti nec tractatus de Nautica re & Navigatione. Dolendum est, cum blattis nunc colluctari nobilissimos Bockelmanni fœtus, quorum ille amore cœlibatum elegerat, ne scilicet suaviculæ conjugis amore negotiisq; domesticis privatis irretitus, aut Xantippes etiam cujusdam (qualis ipsi non consistorium tantum Heidelbergense, ut referre solebat, compluscula exhibuerat, sed & Leida vel in magni Salmasii conjuge Josiæ Merceri filia, si Menagianis deliciis fides est, aliisq; ipsi commonstraverat) furiis Lancinatus aut obtusus, à cura cómodi publici abstraheretur. Morabatur

ipsum istud Siculi, cui cum familiaris quidam conqueretur uxorem suam suspendisse se de ficu arbore, respondit, *da mihi ex illa arbore quos seram furculos.* Noverat non esse eum Christianis morem qui Dogziis ad montem Hermonem in Palestina habitantibus qui certo quotannis die festo ad solennes epulas confluentes uxores inter se singuli invicem permutant. Deterrebat illum istud: *Negotii qui sibi volet vim parare, navem & mulierem, hæc duo sibi comparato, nam nullæ magis duæ res plus negotii habeant.* Dehortabatur ipsum, maximæ cum Heidelbergæ gravissimis istis negotiis admotus esset, illud Portii Latronis: Mulier illud tantum potest tacere quod nescit. Succurrebat illi τοῦ βασις Judicis illius Messanæ in Sicilia, qui cum plygamum quinque uxoribus junctum interrogasset: *quam mente in tam insolens facinus impulsus esset?* Responsumque accepisset, *voluisse ipsum experiri an inter tot uxores unam bonam reperire posset:* replicasse legitur: *Vereor ut in hac vita talem uxorem reperias, quare ad alteram tibi vitam demigrandum erit.* Neque incognitæ ipsi erant Glossæ Accursii, qui ex eo quod leges non ferantur de iis quæ raro fiunt, non esse propterea leges de bonis mulieribus ferendas, concludit: & ad textum qui veniam ætatis fœminis citius indulget quam maribus, rationem dat quod mala herba citius crescat. Adeo Pacuvii versu: Haud facul inventu fœmina bona. Quod ergo fortunatum alii putant, Terentii nostri verbis iterum utar, uxorem Bockelmanni manes si vestrum hoc cœlibatus speculum bono publico minus aptum judicabitur. Reip. cui nos nasci ex Ulpiano tuo, Bockelmanne, didiceras, amore matrimonii molestias si quæ illi insunt, debueras superare. Principibus favorabilem esse causam eorum qui Imperium homi-

hominum adjectione ampliant, ex Paulo tuo, Bockelmanne, noras. Crescite & multiplicamini: Divini sciebas præcepti esse, non consilii. Ipsum Naturale Jus cujus fundamentum Socialitati ejusque conservationi per consequentias imputabas: hunc cœlibatum tuum profecto abhorrere videtur, immo primum hujus principium ipse tu ab illo: Crescite & multiplicamini: arcessebas; quomodo hæc cum factis tuis concordant? Westphalum te profitebaris: at non videtur cum Westphalorum indole solitarius iste status concordare: aliud saltem innuit decantatum istud octostichon: *Westphala gens, una ante alias dignissima salve: tu dec⁹ eximiũ mundi & generosa propago, Felle carens, sincera animis, pia semper in omnes. O nimium felix salve, bis terque beata. Naturæ jubar humanæ, specimenque bonorum. Quæ dulces natos & dulcia pignora gignis, Grata Deo, grata & superis, terraque marique, ingeniis totum illustrent quæ moribus orbem.* An nesciebas, Bockelmanne, quæ in fœminas vulgo jaciuntur, non esse nisi animi lusus, aut si quæ serio prædicantur, ea non omnes tangere, sed & à generoso concoqui, à prudente sœpicule emendari posse? Sed homo fuisti, nec humani quicquam à te alienum professus es: in eo tamen præ multis aliis mortalibus felix, & quod cum nemo sine vitiis nascatur, tu quàm minimis urgebaris, & quod istum nævum tuum virtutum copia deleviſti aut obscurasti. Sed quid nævis imputo cœlibatum tuum? In aliis sane talis esto: Sed in te tuive similibus non est talis. In te non: utpote quem non tantum dira illa dea Podagra, cujus tu, Cl. Feltmanni eloquio, non levis mystes eras, sed & studium tuum alia in parte societati humanæ magis quàm per matrimoniũ commodandi remq; publicam augustioribus incrementis ampliandi, cui per

nuptia-

nuptiales nexus non debebat incommoditas aliqua adferri, à præfatis illis Jurium regulis satis abundeque eximunt. Interim præpropera Bockelmanne morte effectum est, ut commentarium ejusdem ad Digesta non habeamus nisi ad librum usque vigesimum septimum. Commentarius de actionibus non est nisi semi affectus. Integrum autem habemus Compendium ad Institutiones εὐμορφότερον ἢ Νιρέως, ut veterum adagium huc traham, ab erasmo ideo si vultis prætermissum ut integrum compendio applicetur Bockelmanniano, quo cum elegantius hactenus editum non sit, soleo id Auditoribus meis ut dixi, ne necesse habeant ἄνω κὴ κάτω πλαναςθαι, *rursum* (ut Terentii iterum verba in usus meos transferam) prorsum cursare, perpetuo commendare, neque absimile hactenus Iliadi Homericæ prædicare, quam Alcibiades ludum literarium ingressus popposcit, cumque ludimagister negasset sibi esse quicquam Homerici, impegit isti pugnum & abiit, declarans impudenter eum docere literas, qui non semper Bockelmannum, Homerum dicere volebam, haberet in sinu. Adest præterea Bockelmanni tractatus de lege Regia. Meditationes ejusdem Inaugurales, cum apologia. Medicus Romanus sexaginta solidis æstimatus, cum vindiciis Autoris personati eo pertinentibus. Tractatus ejusdem de Wildfangiatu exhibens justitiam causæ Palatinæ sive defensionem Juris Regalis in homines proprios, &c. Item Notata ad infirmationem atque declarationem Moguntinam, item ad causam occupati Ladenburgi: nec non tractatus Ejusdem sub rubro: *Furor antiquandi forum Austregarum repressus*, & alius: *Forum Austregarum competens Principibus aliisque S.R.G. Imperii Civibus jure optimo maximo assertum Serenissimo Electori Palatino*

tino in lite de regali hominum propriorum jure. Denique: *Vindicis Moguntini in Prodromum Palatinum Calumniæ venales taxatæ A-C. 1666.* Qui tres postremi tractatus creduntur Cl. Boclero oppositi & vel soli docere possunt quantus Juris Publici epopta fuerit. Scripsit etiam opusculum de *Navigatione & re nautica*, sed id hactenus videre mihi non contigit. Adsunt Differentiæ inter Jus Civile, Canonicum & Hodiernum, cui partui Bockelmanniano postumo dextere obstetricatus est nobilissimus Van-Eckius, cui propterea literatus orbis soli obstrictus est, quod enim vir clarissimus mihi propterea gratias quoque agendas esse in præfatione libelli demonstrat, id ipsius humanitati & modestiæ unicè acceptum ferendum est. Inedita adhuc penes me habeo: Jus Publicum Bockelmanni, nec non Juris Feudalis, & Juris Naturalis fragmina. Sed jam tempus equum fumantia solvere colla. Ecce tibi: proditur Bockelmanno Leidæ in funus flebile, succollantibus dulcissimo etsi lacrimabilissimo oneri lectissimis Germanici Belgicique floris juvenibus, inter quos uxoris meæ fratrem natu maximum Prætorem Tecklæburgensem, nec non Cl. Schultingium JC. alioque fuisse commemini. Ecce, ecce lugentium ingens syrma! Ecce trabeatos Academiæ patres? vide comitatum in luctu pullum. Vide funus flebile, sed magnificum. Qui enim dum vita manebat magnificè vixerat, non debebat vulgarem in modum terræ mandari. *Si magnus vir cadit*, ait Seneca, *magnus vir jacet. Non magis ille contemnitur quam cum ædium sacrarum ruina calcantur, quas religiosi æque ac stantes adorant.* Qui nescit, norit, Bockelmannum alie-

niſſimum fuiſſe. Nervæ ſane JCti qui inedia ſibi fatum præcipitavit, ſtultum ipſi ſemper viſum fuit conſilium. Ipſe ego, ut cœtera mittam, novi Bockelmannum bijugi carpento ad lectiones publicas invectum: ipſe ego novi Bockelmannum Muſices magiſtris & artificibus non minima honoraria (uni aliquando centum ducatonum) præbentem, eorumq; miniſtrantibus officiis vitam molliter tranſeuntem. Novit Leida, novit Heidelberga, norunt omnes, quam impensè Muſicam de amarit: Scilicet familiare virtuti eſt, cenſente Symmacho, delinimenta exercitii ſenſibus admovere, nam & Achillem referunt ægri animi curas fidibus reſolviſſe. Ipſe adeo Bockelmannus & ipſe fidibus ad artificis inſtar ludebat & muſicos artifices magni faciebat. Dememini jam verborum nitidiſſimi alicujus carminis quod in honorem Itali cujuſdam Muſici excellentiſſimi Bockelmannus meo tempore pangebat typis expreſſi: Quilibet autem in hunc diem luſtrare poteſt Organum Academicum liberalitate equidem Balduini Hamæi Angli, ut fertur, at cura tamen Bockelmanni tum temporis Rectoris Magnifici adornatum, inſcriptione hoc poſterius patente. Ædi autem ſacræ ubi concio lingua Germaniæ ſuperioris utentium coit, organum ipſe Bockelmannus ære ſuo ſolus elargitus eſt. Et in hoc & in alius ſplendibus, velut alibi devinciendis amicis, popularibus ſuis non minus atque cœteris, oppido quam liberalis. Auditores, credite mihi, pauci (ferme dixeram nulli) Germaniæ Belgiique Anteceſſores, ut heic in aliorum meſſem falcem non mittam, eo ſplendore ſe ſuſtentant quo Bockelmannum

Leida

Leida mirata est. Bonum factum executorum testamenti, quod & funus vitæ Bockelmanni voluerunt simile esse id est splendidum atque magnificum. Habitam eidem tamen Orationem Funebrem omnino supprimi, typisque non exscribi, voluerunt. In templo nihilominus S. Petri supra subsellium Clariss. Professorum non procul ab Organo, in marmor incisa videbis sequentia: *A. C.* DIC. DC. LXXXI. *Memoriæ æternæ Jo. Frid. Bockelmanni Juris Antecessoris incomparabilis. Finiti a. d. x. Kal. Novembr.* Fusi etiam distributique sunt argentei nummi, quorum unum latus insignia Bockelmanni, duos Malleos totidemque manus istis percussuras exhibentia, gentilitia commonstrat cum subscripto Cl. Craenenii disticho: *Malleus est duplex quo Princeps regna gubernat: Legibus ars, gladio vis, jubet esse probos.* Cui inferius paulo eadem illi nummi hujus parte subjicitur: *Æternæ memoriæ sacrum viri Nobiliss. & Celeberrimi Dn. Joh. Frid. Bockelmanni, Olim summi Palatini judicii Vicarii, Consiliarii, Juriscque ibi & postea Lugduni Batavorum Antecessoris.* Ab altero dicti argentei numismatis latere Bockelmannus inter negotia Palatina & otia Leidensia medius sedens conspicitur, cum lemmate: *Illic fatigor, hic requiesco.* Sed proh dolor tu nunc vere Lugduni requiescis Bockelmanne inque majorem ædem D. Petro sacram juxta Professorum subsellia repositus jaces. Jaces, Bockelmanne: jaces: sed non virtutum tuarum splendor, qui inter omnes bonos quot diebus magis magisque exsurgit. Jaces; Sed non inclutum nomen tuum, cujus dicta fama omnem qua patet Europam peragrat,

æternæque memoriæ te inſcribit. Jaces: ſed illuſtris gloria decuſque tuum ſublimi feriunt ſidera vertice. Jaces: ah jaces. Sed nolo tibi leſſum canere: neque hunc in finem hanc cathedram conſcendi. Pæan tibi debetur, non nænia. Laurus & adorea: non cypreſſus. Hoc unum tamen æterno immortalis gloriæ tuæ tholo ſuſpendere liceat anathema, quod Lucii Bruti, olim ſtatuæ Romæ ſubſcriptum perhibetur: UTINAM VIVERES, ah Bockelmanne: UTINAM VIVERES! Tantum eſt.

D I X I.

A. A. PAGENSTECHERI

ORATIO

DE

QUARTA MONARCHIA

DICTA

In Choro Templi Academici Provinciæ Urbis & Omlandiarum

a. d. X. Kalend. Septembr. ↄIↃ IↃC IIC.

Cùm Academicum Rectoris Magnifici munus deponeret.

Perilluſtres atque Ampliſſimi Academiæ hujus Provincialis Curatores, cæterique Reip. Proceres, Patriæ Academiaque Patres colendiſſimi.

Excellentiſſimi atque Celeberrimi illuſtris Lycei Profeſſores, Collegæ honorandi.

Nobiliſsimi Viri quotquot illuſtriſsimæ Reip. fidem veſtram obſtrinxiſtis, eidemque in partibus vobis creditis egregie commodatis.

Laudatiſsimi Legis & Evangelii in Eccleſia Jeſu Chriſti Interpretes & Internuntii. Conſultiſſimi Experientiſſimique Doctores & quotquot præterea actum hunc honora præſentia veſtra condecoratis Auditores ſuo quiſque ordine & loco honoratiſſimi.

Et

Et tu ſpeciatim, ô generoſus ô ingenuus ſanguis, humanitatis virtutiſque ſoboles, adoleſcentiæ decus, juventutis flos, ſpes poſteritatis, noſtræ deliciæ, cari Studentes.

ERgo reducta cortina, fabula peracta eſt. Ergo ſtadium ſuum abſolvit currax ambulatorii magiſtratus prærogativa. Ergo ceſſat anniverſarius Rectoris Academici character. Ergo finem habet bracteata Magnificatus felicitas. Ergo ad alium transfertur faſcium ſceptrique ſublimitas. Adeo in Academiis effigiem imperiorum damus aut eorum ſimulacrum, aut umbram. Adeo in Academiis quoque rerum humanarum ſpectaculum præbemus. Illuſtriſſimo iſti Perſarum Imperatori Cyro ſimile ſpeculum olim inſpiciendum captivorum non nemo præbuit. Seſoſtri Ægyptiorum regi id alii tribuunt. Nota hiſtoria eſt, nec illuſtri huic confeſſui latius aperiendum quomodo aut hic aut ille aut uterque feſtivo quodam die reges ſubactos & in captivitate hactenus detentos quadrigis quibus ipſe vehebatur admoverit, cumque horum unus crebro reſpiciens rotas ſurſum deorſumque ſe circumvertentes ſpectaret, ille indignabundus, quid ita ſubinde ſe convertens rectum quadrigarum curſum averteret, hunc interrogaverit, reſponſumque tulerit, ſe cum rotas ſurſum deorſumque volvi cernat,

nat, vitæ instabilitatem considerare, in qua summa ad imum devolvantur, ima ad summum evehantur.

Idcirco tanta est rerum discordia in ævo,
Et subtexta malis bona sunt, lacrimæque sequuntur
Vota, nec in cunctis servat Fortuna tenorem,
Usque adeo permista fluit, nec permanet usquam,
Amisitque fidem variando cuncta per omnes.
Non amnes amni, non menses mensibus usque
Conveniunt: seque ipse dies aliumque relinquit,
Horaque non ulli similis producitur horæ.
Fortuna sævo læta negotio, &
Ludum insolentem ludere pertinax,
Transmutat incertos honores,
Nunc tibi nunc alii benigna.
Hæc cum superba verterit vices dextra
Et æstuantis more fertur Euripi.
Ducum tremendos sæva proterit reges,
Humilemque victi sublevat fallax vultum,
Non illa miseros audit, haud curat fletus,
Ultroque gemitus, dura quos fecit, ridet.
Sic illa ludit, sic suas probat vires,
Suique magnum monstrat ostentum, si quis
Visatur una stratus ac felix hora.

Qua-

Quaque ruit, furibundæ ruit, totumque per orbem
Fulminat, & cœcis cœca triumfat equis.
Scilicet
Fortunam insanam ésse & certam & brutam perhibent Philosophi,
Saxoque illam instare globoso perhibent volubilem,
Ideo quo saxum impulerit fors, cadere eo fortunam autumant,
Cœcam ob eam rem esse iterant, quia nihil cernat quo sese applicet
Insanam autem ajunt, quia atrox, incerta instabilisque sit,
Brutam, quia dignum atque indignum nequeat internoscere.

Sed apage has Philosophorum assanias, apage apage hæc Poetarum insomnia. Nobis ut in omnibus aliis ita & in mundanarum rerum vicissitudinibus. Nullum numen abest, nec te nos facimus fortuna Deam nec cœlo locamus. Ad terram te, Fortuna, detrudimus. Immo nihil es: aut si quid es, Divini immutabilis æternique decreti externum adimplementum es. Instabilis es: sed nostræ intuitu inconstantiæ, non æterni Dei cujus non movenda decreta fluxi mortales experiuntur. Cœca es, sed non intuitu omnia videntis unaque præcordiorum ruspantis Dei, qui quo decretorum suorum executionem destinet, accuratissimè videt: sed cœca es nostræ respectu cœcitatis cui in divinæ majestatis adyta, in Supremi Numinis oracula, in istud

Bayerische Staatsbibliothek München

æternorum mysteriorum sacrarium introspicere concessum non est, permissa non nisi effectuum nobis latentium at in tempore patentium contemplatione. Bruta sis, at non intuitu sapientissimi & ad futuram executionem sapientissimè ordinantis Dei, sed intuitu brutorum inter mortales pectorum, quibus sana ratio non docuit illud quod olim Senecam, qui, non uti putamus, inquit, incidunt cuncta, sed veniunt: olim constitutum est quid gaudeas, quid fleas. Sis insana, sed istorum respectu hominum, qui ex sacro Sanctissimi Numinis Codice discere nolunt, Deum mutare tempora, consequenter cum cuique res suæ sunt tempestates, id à Deo esse: cum aliud est nascendi tempus, aliud moriendi, aliud plangendi, aliud saltandi, aliud serendi, aliud metendi, istud omne à Deo esse. Per hunc reges regnant, per hunc imperia surgunt, per hunc evertuntur. Hic Assyriorum Monarchiæ interitum paravit, hic Medorum Persarumque Dominatus sustulit, hic Græcorum Sceptrum in Romanos transtulit, hic est qui Romanorum vastissimum imperium pessum dedit, conculcavit, evertit. Ah Auditores! quid dixi? Romanorum imperium pessum datum, conculcatum, eversum esse. Dixi? Nondum pœnitet me dixisse. Enim vero Romanorum Imperium jam ante compluscula sæcula evanuisse & plane disperiisse mihi persuasissimum habeo, etsi Imperium tamen Romanum usque adhuc durare, adque novissimum orbis terrarum diem perduraturum, firmiter credam. Dicam apertius, si possim. Quartam Monarchiam, Monarchiam Romanam inquam, adhuc dum existete, proporroque usque dum ambustus

buſtus illabatur orbis perſeveraturam, enixe contendo, etſi penes Romanos eandem cum maxime eſſe, pernegem, Germanis eandem atque Pontifici Romano in præſens adeſſe affirmans. Incivile eſſe, niſi tota lege perſpecta de parte ejus velle judicare, uti JCtis certum eſt, ita humanitatem veſtram obteſtor, Auditores Humaniſſimi, ut dum ſub Magiſtratus Academici, Imperiorum ut jam prafatus ſum quaſi ſimulacro aut umbra, hodierna permutatione, de Quartæ Monarchiæ in Germanos atque Pontificem Romanum translatione ad vos verba hodie facere deſtinavi, vos non tantum auribus animisque veſtris mihi favere, benevoleque & candide judicare, ſed & ſententiam veſtram ad brevis orationis aut diſcurſus potius extemporarij decurſum ſuſpenſam tenere, dedignari nolitis.

INcunabula illuſtriſſimæ alias nationis Germanicæ, nemo facile indicaverit: adeo nulli ab ipſis Germanis proditi olim ſunt rerum antiquarum commentarii, nulli, de quibus conſtet, rerum Germanicarum vetuſti annales. Credo, aut, ut ſuſpicor, non tam ex univerſali totius gentis ruditate, quis enim talem in generoſiſſima illa juſte præſumat? quam magis quod præſentium dextere gerendorum curæ intenti, de futuris parum ſolliciti fuerint, aut etiam de poſteritate ſua crediderint eam antiquorum monumentis non egere, ſed veluti & in equis patrum virtus eſt nec imbellem feroces progenerant aquilæ columbam, ita & hanc ſua ſe munituram virtute. Neque defuerunt tamen Germaniæ admiratores exteri: quemadmodum enim

iris gemma arcus cœlestis colores parietibus immittit, ita & virtus illas sui imagines undiquaque circumfert aliisque imprimit, ut spectator quicunque venit discedat amator & admirator. Græci id senserunt atque Romani. Hi de Germania silere noluerunt, de qua per summam Germanorum modestiam apud ipsos Germanos altissimum silentium est. Et quidem luculentissimum & nunquam sine laude loquendum autorem, Tacitum inquam, nunc inspiciamus. Hic primum Germanorum parentem Tuisconem memorat, quem ipsi Germani terra editum fuisse crediderint, forte, quod de Adami, ex terra, primula creatione quippiam inaudivissent: interim Tuisconem hunc Noachi pronepotem Ascanem fuisse eruditis persuasum est quibus indubium est ab hoc Celtas & consequenter Germanos descendere. Ab illo ergo Tuiscone, ejusque filio Manno (ita eum memoratus Tacitus vocat) amplissimæ Germaniæ inhabitatores originem suam deputant, quotquot scilicet vastissimas terras quotquot Danubio, Rheno, Oceano Septentrionali, Sinu Finnico, & Fistula cinguntur, olim incoluerunt, non quasi vastum istud terrarum spatium unius sceptro paruerit, nec quod antiquitus Germaniæ titulo cognominatum fuerit: sed quod plures inibi civitates extiterint, tot inquam quot populi, suis iterum distincti uti separatis regiminibus ita & nominibus: inter quos Germani, gens una, Tungrorum nomine Taciti ætate veniens, cum primum Rhenum transgressi Gallos expulissent, hoc gentis nomen toti intra memoratos terminos habitanti nationi commune fecerit.

Gallis

Gallis omnes istos populos à populo victore Germano, ob metum erga hunc, Germanos communiter appellantibus, ipsisque omnibus illis populis in tale ex sui quasi gremio inventum generale nomen consentientibus. Cœterum, quantum lenta solent inter viburna cupressi, tantum inter hos Germanos deinde caput extulerunt Franci, qui sæculo cum primis Christiano tertio, quo Imperatoria Majestas apud Alexandrum Severum inter Romanos resedit, defendendæ contra Romanorum invasiones carissimæ libertatis causa in unum coeuntes, ab hoc libertatis studio & tutela, nisi fallor, Francos sive Francones se appellari fecerunt, ipsique terræ quem habitabant tractui Franconiæ adhuc hodie superstes nomen impertierunt. Per Duces Principesque bella eos sua gessisse, & ratio dictitat & historiarum fides confirmat. An autem his regia aut similis potestas monarchica comperierit, juxta scio cum ignarissimis: & qui scirem? silet historia: Duces video Francorum, deprehendo Principes: sed his in nulla non reip. formæ locus esse potest: quin & in plurium rerum publicarum systemate: immo & in pluriũ confœderatorum ad breve tempus inita societate. Scio Francos se regibus subjecisse: scio: sed ante sæculum Christianum quintum de tali subjectione ne hilum invenias, ut inde colligas, ante id tempus tales subjectiones incognitas fuisse, cum tum primiter cœperint. Primus adeo Francorum Rex memoratur Pharamundus, qui sæculo dicto quinto sceptrum regium capessens, idem per compluscules successores ad Carolum nomine & meritis Magnum transmisit. Sed nec Caroli hujus Magni per quintum, sextum, septimum,

mum, octavumque sæcula anteceſſoribus ſua defuit rerum geſtarum magnitudo. Quantum enim hi Franconiæ ſuæ terminos jam tum extenderint, ex eo colligite, quod non tantum Alemanniam, nunc Sueviæ nomine incluſam, & quicquid fere terrarum inter Mœnum & Danubium in Thuringiam abit, ſibi adjecerunt, ſed & antea Gallorum injuriis, excurſionibus, divexationibuſque creberrimis laceſſiti, tum & vallorum, aggerum, caſtellorumque cumulatiſſimis exſtructionibus quibus non ſolum aditu in Galliam prohibebantur, ſed & nunquam in territoriis ſuis ulla ſecuritate perfrui poterant, perterriti, juſtiſſimeque adeo ſibi metuentes, ſub novo quod dixi Francorum nomine, quaſi ſub gratiſſimo ſymbolo collectis coadunatisque viribus, à priſcis Germanis exemplum capientes, Rhenum fluvium trajecerunt, & circa annum quadringentesimum (ut alias expeditiones minus felices nunc taceam) pleraque veteris Galliæ loca occuparunt, ſenſimque omnibus ejectis Romanis Gothisque, Burgundionibus ſubactis, cunctis debellatis, omnem ſub jugum Francicum miſerunt Galliam, eidemque Franciæ nomen à populo iterum victore impoſuerunt. Eo igitur tempore tota Gallia in poteſtate Germanorum fuit, Francorum puta, gentis Germanicæ. Notum eſt, quid Johannes Bodinus, aliis per anagramma Andius ſine bono appellatus, de Francorum origine, quaſi hæc Galliæ debeatur, in medium protulerit: ſed & notum eſt quid viri ipſo hac in parte & doctores & ſinceriores hiſce Bodinianis nugis repoſuerint. Quid (negas, Bodine, Francos ortu Germanos fuiſſe?

At

At id affirmant, scriptores ipsorum primulæ memoriæ vicini vel proximi. Audi Hieronymum in vita Hilarii apud Aimonium de rebus gestis Francorum: Inter Alemannos, inquit hic, & Saxones gens non tam lata quam valida, apud Historicos Germania nuuc vero Francia vocatur. Accedat Amnianus Marcellinus qui sub Constantio & Juliano Augustis vixit, hujusque expeditioni in Francos interfuit. Vultis Procopii qui sub Justiniano nostro floruit verba etiam audire? ita hic libro primo de bello Vandalico: Vandali, ait, fame pressi in Germanos irruunt, qui nunc Franci dicuntur, simulque Rhenum trajecerunt. Et libro primo de bello Gothico: Franci, ait, quondam Germani vocabantur, & deinde recenset ut Germaniam hi occuparint. Proximus Procopio Agathias de bello itidem Gothico libro primo, non modo idem tradit, sed & probat: Francos, inquit, hos veteres esse Germanos dixere, quod citra Rhenum habitant & huit propinquas incolunt terras, Galliarumque maximam possident partem, non propriam sed vi postmodum occupatam. Alia prætereo. Nisi hoc addi permittitis, quod & monumentis aliis illustribus hæc res constat. Ipse Carolus Magnus Imperii sui populos in Capitulari suo enarrans, Gallos à Francis separat, Franci, inquit, Alemanni, Galli, & quos ibi præterea commemorat. Enimvero Carolus Magnus, Franciæ Rex, non contentus in Germania citeriorem Rheni ripam & ultra, vetus majorum suorum patrimonium, nec contentus Galliam omnem, bello Franciæ acquisitam possidere, novos progressus fecit, vectisque Bojis, Saxonibus, cæteris-

que

risque gentibus tum barbaris sub jugum missis, fines Imperii sui in Germania ad Albim fluvium usque & longius, certo felicitatis ac fortitudinis argumento, protulit: ut adeo veluti Gallia Franconiæ accessio & appendix facta fuit, ita idem fatum Germaniæ devictas adjectasque Franconiæ regiones dubio procul manserit. Adeo ut & hic JCtorum axioma veriſſimum sit locumque inveniat, quo asserunt accessorium debere sui principalis naturam sequi, etsi accessorium principali suo pretiosius sit, veluti si quis annulo suo gemmam alienam, aut alienam purpuram suo panno inseruerit. Sit Gallia amplitudine major: at Franciæ victrici fortitudine multo tum exiſtit inferior. Neque exemplis destituuntur Franci. Videte quæso humilia Romuli tecta sub quæ Romanorum fortitudo totum fere terrarum orbem coegit recepitque atque à Romuli casa Roma inquam tot tantaque regna provinciasque & denominavit & iisdem inde jura legesque præscripsit. Idem Francos nostros cum devictis populis speciatimque cum subacta Gallia feciſſe, non argumento illo duntaxat Juridico statim adducto comprobatur, sed & argumentis validiſſimis aliis plenè evincitur. Veluti quod sedes regia, post subactam Galliam, non in Gallia fuit, sed in Germania, Argentorati, Francofurti, Aquisgrani (quam urbem ea propter novam Romam dixerunt) aut in alio Germaniæ loco. Tum quod in his ipsis Germaniæ locis non autem in Gallia, electos coronatosque Galliæ reges constat, Tum quod nomen Franciæ Germanicum Galliæ impositum cum imperio fuit, inde à Francia Germani-

manica, cognominata ut Gallia fuerit Francia Occidentalis: veluti Germanica illa Francia, sub Franciæ Orientalis nomine venit. Tum, quod Francia Orientalis sive Germanica à scriptoribus istorum temporum, primigenia, antiqua atque patrimonialis passim salutatur. Tum, quod in titulis regum utriusque Franciæ, Franci excellenter ita dicti, Orientales sive Germani scilicet, primo loco positi, post eos Alemanni, Bojoarii, Saxones, cæterique Germaniæ incolæ, post hos demum nominatis Gallis, cujus rei exemplum ex Caroli Magni capitulari supra jam adduxi. Vultis ut his omnibus addam, Caroli Magni patriam quam ipsi Germania dederit Ingelheimii altero à Moguntia lapide, aut si non ibi, in tractu tamen Eichsfeldensi inter Thuringiæ, Hassiæ & Brunsvicense territoria? Sed possumus per superiora illa hoc argumento carere. Non hoc auxilio non defensoribus istis tempus eget. Sufficiat Germanis Caroli Magni patrem, culus conditionem & dignitatem uxor partusque justus sequuntur, Pipinum inquam, Francorum regem fuisse, sedemque regiam in Germania habuisse, Galliæque uti cæteris Provinciis acquisitis subjectisque ex Germania ceu fortunarum suarum supremo domicilio imperasse. Quid igitur si forte Carolus Magnus in Gallia natus esset? Finge ita fortuito evenisse. Non ubi quis natus, sed ubi nasci debuerit, inspiciendum est. Locus domicilii spectandus non fortuitæ nativitatis. Sed nec necesse Germani habent, ut Galliæ gloriam nativitatis Carolinæ largiantur, cum in Germania natum esse oporteat qui in tractu Ger-

maniæ Eichsfeldensi ut dixi aut Ingelheimii altero à Moguntiæ lapide in dias has luminis auras erupit. Sed si Ingelheimii, dicat mihi quis, Carolus ille Magnus natus est, quomodo tractus Eichsfeldensis ipsi patria est? Annales Fuldenses videntur hunc nodum solvere, dum Eichsfeldensem tractum conceptioni assignant: ut hic conceptus, at Ingelheimii natus fuerit. Sane locum conceptionis non necesse est ut sollicite à matre exquisiverit filius Carolus: quid si ipsa mater, ipse pater, eum sæpius, inter amicos, inter convivia & pocula, inter hilaritatis alios apparatus & processus, ut fieri assolet, enarraverit? quid si & alii, etiam extranei ex tempore nativitatis tempus locumque conceptionis indagaverint? qualis indagatio nec adeo incerta est nec nimis difficilis. Hic ergo Carolus uti ex stirpe Germanica fuit ortus, & ipsa in Germania natus, ita & ad exemplum Pipini patris in Germania vixit, in Germania sedem regalem fortunarumque suarum summam constituit, lingua Germanica veluti vernacula usus fuit, neq; unquam alterius nationis quam Germanicæ censeri voluit. Estque hic Carolus ille Magnus qui Italia subacta Imperium tum apud Græcos existens Romanum quod Romano-Græcum voces, cum Regno Francico conjunxit. Imperium scilicet Romanum prout tum temporis, sæculis inquam post natum mundi Salvatorem jam elapsis octo, adhuc reliquum erat. Scilicet ignota nulli nostrum est à Constantino Magno maximè autem Theodosio itidem Magno facta Imperii Romani in Orientale & Occidentale divisio: neque

igno-

ramus, quomodo Occidentale Imperium post divisionem illam Theodosianam collapsum fuerit atque pessum ierit. Sane quemadmodum Imperium Romanum Orientale plane periisse nemo negare ausit, qui non tantum omnem Africam Asiamque ab eodem avulsam esse novit, sed & quatenus Europam tenuit in Turcas aliosque, qui Romani Imperatoris axioma nec habent nec ambiunt, translatum esse & ab Constantini XI. interitu expirasse agnoscit: ita videte sultis Occidentale alterum ejusdem membrum post Theodosii Magni excessum ad occasum vergentem tandemque collapsum. Videte istic Honorium Theodosi M. filium Occidentis Imperatorem adversus Visi-Gothos ex Oriente sub auspiciis Alarici Regis erumpentes & Italiam instar examinis locustarum tegentes, fortiter per Stiliconem depugnantem: videte eundem fortissimū Stiliconē Radagaiso ejusq; 200000. Gothis superiorem: sed tandem tamen Stilicone submoto videte istic Alaricum Gothum triumphantem, ipsam Romam ab Alarico obsessam captamque: ipsumque Honorium Romæ gallinæ suæ non urbis curam gerentem Ravennæ obsessum, Attalum à Gothis Romæ urbi regem datum: deinde Romam ab Alarico ad fundum usque direptam: mox Hispaniam totam à Visi-Gothis, quin & à Germaniæ populis Vandalis, Alanis, Suevisque ab Imperio Romano avulsam. Sane tanto minus juris restabat Imperatori Romano in Hispaniam, quanto certius est eandem Aistulffo Gotho ab Honorio cujus soror Placidia memorato Aistulffo nupserat quasi dotis nomine cessam esse Fortean

putet quis ab Honorii successore Valentiniano III. Hispaniam Imperio redditam. Errabit. Quin & altera Provincia, Africam intelligo, per Vandalos ex Hispania à Bonifacio Africæ Præside evocatos Genserico Rege petita, debellata, perque sæculum & ultra detenta fuit. Verum est, annis decoratissimum glorioſissimumque Imperatorem Justinianum illum nostrum Magnum per Belisarium fortissimum virum Africam post tanta temporum spatia capto pulsoque Gilimere Vandalorum rege, Imperio iterum coadunasse: sed non Occidentali isti Romano à quo avulsa fuerat, sed Orientali suo Romano-Græco: ut Occidentali Romano nunquam reddita fuerit. Quid de Gallia? Hujus partem Aquitanicam atque Narbonensem jam Gothis memoratus ille ad angustias redactus Honorius cesserat: Confestim Franci aliam Galliæ partem tunc Galliæ Belgicæ nomine inclutam invadunt occupantque: veluti Burgundi id quod nunc Burgundia audit: ut sola Gallia Celtica Romanis eo tempore remanserit contra Attilam per Aetium egregiè defensa: perroque defendenda, nisi Valentinianus III. magnanimum hunc Aetium confodisset, eoque ipso integram sibi Galliam abscidisset. Hanc secuta est Britannia à Saxonibus contra Pictos Scotosque defensa, sed retenta. Et qui succurreret Valentinianus Galliæ Britanniæque, qui contra flagellum istud Dei Attilam Hunnorum regem vix se tutabatur, adeo ut & Illyricum à barbaris occuparetur. Expectatis meliora tempora sub Maximo qui Valentiniani III.

ni III. thronum & thorum occupaverat ? Nil minus. Ecce tibi Genſericum Africæ Regem, Italiæ incubantem, Romam de populantem, Imperatorem expellentem, ipſam Imperatricem cum incredibilibus gazis in Africam transvehentem. Quæ ſecuta eſt Imperatorum Occidentalium turba, Avitus, Majoranus, Severus, Anthemius, Olybrius, Glycerius, Julius Nepos, quid niſi umbram Romanæ Majeſtatis exhibuerunt ? Poſt hos Imperatorium thronum conſcendit Romulus. Quis Romulus ? Non Romulus ille Romani regni auguſtiſſimus conditor, ſed Auguſtulus Momyllus, Romani Imperii Occidentalis finis. Vere Auguſtulus ! Immo ne quidem Auguſtulus. Quid enim in te auguſti anguſte Auguſtule ? Herulos vides : turbaris : deturbaris. Odoacer horum Rex Imperium Romanum tibi abrogat, te ipſum proturbat. Et ita quidem ſub finem forme ſæculi Chriſtiani Quinti finitum fuit Imperium Romanum Occidentale, ſub Carolo demum Magno ſæculo ineunte nono renatum. Interim primum Herulis Imperii Occidentalis reliquiæ ceſſerunt : ſed nec horum diuturnum regnum fuit, quippe vix ſedecim annis elapſis in Oſt-Gothos eorumque Regem Theodoricum translatum Heruli tamen & Gothi Romani Imperatoris titulum ſpreverunt, ſuum regium nomen & decus eidem præponentes, poſtquam adeo anguſta evaſerat ſub ultimis Imperatoribus Occidentalibus auguſta horum majeſtas. Auguſtiſſimus ſane Imperator Juſtinianus poſt ſeptuaginta annorum ſpatium Gothicum

istud regnum capto Vitige, Totila Tejaque occisis, iterum destruxit, sed eo ipso Occidentale Imperium non resuscitavit, sed Gothicum istud in Italia regnum, veluti Vandalicum istud in Africa, Orientali suo Imperio Romano-Græco subjecit ejusque ditioni addidit, idque non ut Occidentale Imperium habuit, sed ut Exarchatum Imperii Orientalis possedit, ut nihilominus sub Justiniano Magno evanuerit Occidentale Romanum Imperium quippe adhuc Majestate propria separataque destitutum. Sed nec Orientis longæva hæc possessio fuit. Statim enim post Justiniani excessum Narses Eunuchus Martialem relam intra sæcula aliquot non detexendam, orditus est, invitatis scil. Longobardis, quos maximam Italiæ partem occupasse, inibique Regnum Italiæ sibi excitasse, id que ab Alboino rege per duo & quod excurrit sæcula ad Aistulfum Desideriumque reges transmisisse, in confesso est: quin & ipsum in Italiæ recuperata parte à Justiniano institutum Exarchatum, cui Ravenna sedes erat (veluti eodem tempore Regno Longobardico, alteri Italiæ parti, Pavia) tandē per eosdē illos Longobardos Aistulfo rege eversū fuisse. Potiti sunt eo tēpore Longobardi universis ad Exarchatum spectantibus: jamque Romam ipsam petebant, obsidebant. Hic tum Stephanus Tertius Pontifex Romanus imploratis frustra Constantini Copronymi Imperatoris Romano-Græci in Oriente (huic enim à multo jam tempore ut accessio Imperii Occidentalis residuum accreverat) auxiliis, Pipinum Francorum regem contra Longobardos evocavit: neque id frustra fecit:

t: Enimvero Pipinus Germanicæ fortitudinis auxilio Provincias nonnullas Aistulfo ereptas & ad Imperium olim pertinentes non dicto Constantino Imperatori, licet per Legatos enixo roganti, reddidit, sed Pontifici Romano donavit. Cæterum Desiderius Aistulffi successor pacis à Patre cusæ parum memor, omnia iterum ea violentia conturbavit ut Hadrianus Pontifex necesse habuerit evocare Carolum Pipini filium Germaniæ regem, qui victo Desiderio regnum Longobardicum in se transtulit, Germaniæque conjunxit; cœteras Imperii reliquias Pontifici Romano restituens. Quibus rebus feliciter gestis, Carolus ille Magnus in ipsis feriis Natalitiis à Pontifice Populoque Romano, Imperator Romanus renuntiatur: Imperatoribus Orientalibus hanc renuntiationem, transactione inter Carolum Occidentalem, & Irenem, Nicephorum & Michaelem Orientales, inita, confirmantibus. Quemadmodum autem omnis transactio est non gratuita; sed fit aliquo dato, retento, vel promisso: ita & hæc Imperatoria transactio. Imperatoribus Orientalibus Romano-Græcis Orientis Imperium Romano-Græcum cum Italiæ parte maritima tum Calabriæ & Apuliæ nomine nota: Carolo autem eminentiam Imperatoris Romani, tum summum in urbem Romam & quæ præterea Pontificis erant Imperium, cum omnibus ferme Imperii Occidentalis reliquiis concessit. Ita hoc tempore Imperium Occidentale revixit. Ita post tanta temporum intervalla Imperium Romanum iterum duplex fuit, alterum Orien-

tale, Occidentale alterum, Sed Occidentale felicius quod in hanc usque horam à Carolo M. resuscitatum felicissimè perduret: cum Orientale jam sæculo decimo quinto extinctum fuerit sub Constantino XI. Palæologo: ferme dixeram, sub Constantinulo. quid enim Imperii Romani Majestate dignum Imperator ille reliquum habebat? Ita sub Constantinulo hoc Orientale à Constantino M. cœptum Imperium desiit: quemadmodum sub Augusto inchoatum sub Augustulo mille ferme ante Orientalis excidium annis, sæculo scil. Christiano Quinto, exspiraverat. Cæterum cum non tantum ab Augustulo hoc ad Carolum Magnum tria & ultra sæcula procurrant quibus Occidens Imperatore caruit, cumque ii quos post Imperii divisionem Theodosianam aut Occidens vidit nomine vel re Augustulos, vel Oriens agnovit Augustos, non adeo Pontificis Romani potentiam coercere valuerint aut voluerint: quilibet facile videt Papam Romanum non tantum Primariatum in Ecclesias sibi facile asseruisse atque confirmasse: sed & circa sæcularia non levem sibi autoritatem usurpare potuisse. Saltim eum hoc fecisse vel solum Juris Canonici Corpus, quo quotidie utimur, satis abundeque confirmat. Et quid commodius Romano Pontifici quam Exarchis Ravennæ, Longobardis Paviæ (veluti ante hos Gothis Veronæ) residentibus, Romæque parcentibus, caput extollere, se in libertatem vindicare, majestatem usurpare. Factum narramus, Auditores: quo jure quave injuria id factum fuerit, alio loco dispi-

cien-

ciendum est. Nobis ex superioribus observasse sufficit, post Imperii Romani Imperatorias illas divisiones, secutas esse divisiones Imperii à Barbaris factas: quin nec à divisione ista Romanum Pontificem abstinuisse. Satis quippe notum est, Romanos Episcopos non contentos ipsis à Theodosio Magno Constantinopolitanos postpositos fuisse, ipsum deinde in omnes Ecclesias Principatum atque dominatum ambivisse. Sub Valentiniano sane III. sub cujus Regimine plura, ut supra memoravi, ab Imperio avulsa sunt, quid mirum fuit si & Leo Papa dictum dominatum sibi vendicaverit? Quid deinde sub Phoca obtinuerit, nulli latere potest. Neque per Franciæ Reges Pipinum Carolumque nostrum Magnum Pontificis hujus potestas imminuta fuit: quin eandem ab iisdem adauctam fuisse, jam repræsentavi. Salvis ergo juribus sibi jam competentibus Pontifex Carolum Magnum Imperatorem renuntiavit Romanum. Non quasi Imperatorem Romanum creare sit Pontificis. Sed quod id tamē tunc ex parte fuerit Pontificis Romani. Veluti enim illa quondam terrarum domina Roma barbarorum postea facta est mancipium: ita nil mirum, si & Pontifici se postea submisit. Et quid si id non quoad sæcularia feciſſet, quoad Ecclesiastica saltim quis Papæ autocratoriam ignorat aut negat? Huic Pontificis voluntati accessit denique Imperatorum Orientalium consensus, ut jam dixi, atque transactio, collatio, renuntiatio. Quæ vel sola, si vel maxime Papalem istam collationem inutilem dicas, & non nisi solennitatem unctionis & coronationis, qualis & in Oriente à

primariis Patriarchis peragebatur, in eadem agnoscas, ad Imperatoris Romani majestatem in Carolum ex parte conferendam sive inter Orientalem & Occidentalem Imperatores dividendam, sufficiunt. Quilibet enim, ut juris & rationis regula dictat, potest juri suo renuntiare. Quilibet ut altera habet, rei suæ moderator est & arbiter. Et nihil, ut Justiniani Orientalis Imperatoris verbis utar, tam naturali æquitati conveniens est quam voluntatem domini volentis rem suam in alium transferri ratam haberi. Et quamvis Nicephorum Carolumque inter ita pactū ut fuerit ambo Cæsares, ambo Augusti, cognominarentur, omnium tamen tandem gentium consensu effectum est ut alii quidem, ipsique adeo Orientales, Imperatoris: soli autem Germani, Romani Imperatoris splendore præfulgeant: ipsis Orientalibus in hanc usque horam nullatenus obluctantibus. Memorabile interim est, Imperatoriam Romani Imperii Majestatem in Caroli nepotibus à Regno Germanico iterum avulsam fuisse. Enim vero cum Ludovicus Pius Caroli Magni filius inter tres filios suos Lotharium, Ludovicum & Carolum Calvum, eam partitionem fecisset, ut Lothario Italia cum Imperio Romano cederet, Ludovico sola Germania, Carolo autem Gallia, relinqueretur, jam sane Imperium Romanum non apud Germaniæ sed Italiæ regnum resedit: eidemque in Ludovico Secundo Lotharii dicti filio inhæsit. Quin à Ludovici Secundi excessu, ad ejusdem patruum Carolum Secundum quem & Calvum cognominamus,

namus, ejusque deinde filium Ludovicum Tertium sive Balbum translatum est: cumque Ludovicus Tertius & Carolus Calvus Reges Galliæ, à Regno Germanico plane tunc distinctæ, exstiterint; consequitur Imperium Romanum tum apud Gallos fuisse. Verum quemadmodum augustissimus ille Imperii Romani character ambulatorius hactenus fuit, à Romanis primiter Regibus in populum Romanum, ab hoc in Imperatores Romanos, ab his in Græcos, ab his in Germanos, ab his in Italos, ab his in Gallos transmigrans: ita post Ludovici Tertii sive Balbi mortem ad Germaniæ iterum regnum delapsus est, succedente Ludovico huic Tertio sive Balbo, ejusdem patruele, Ludovici Germanici (qui Ludovici Pii filius, Caroli Magni nepos erat) filio Carolo Tertio sive Crasso, qui Carolum Secundum Patruum, Carolum autem Primum sive Magnum Proavum habebat. Cui deinde ex fratre nepos Arnulffus, huic iterum Ludovicus filius, Quartus dictus, & deinde Germaniæ reges continua serie successerunt. Inter quæ prætermittendum non est, Ottonem Primum, cum Italia Germaniæ iterum subtracta fuisset, sæculo decimo eandem recuperasse: Romanis interque eos Pontifice Romano, Ottoni isti Magno, æterno pacto, se submittentibus, ut quicunque legitimo modo Germaniæ & consequenter Italiæ Rex sit factus, is eo ipso quoque sine novo Romanorum consensu Cæsaream dignitatem & jus summum in Romam

mam ac cœteras Imperii Occidentalis reliquias haberet. Neque omittere possum, Ottonem II. Ottonis primi filiũ Calabriam Apuliamque aut quicquid maritimarum in Italia regionum principio sæculi noni Orientalibus Imperatoribus relictum fuerat dotis bellique titulis in se transtulisse. Insederant eas partes Saraceni. Orientales Imperatores his impares jus suũ in has terras una cum imperatoria Viragine Theophania Occidentali Imperatori Ottoni Secundo cedunt. Hac occasione Otto Secundus & ipsos Saracenos proturbat, inde Pallida mors Saracenorum cognominatus, & à præsidis Romanis aliisque Italis pœnas sumit. Quid hujus filius Otto Tertius? Hic pacta inter Ottonem I. & Leonem VIII inita adauget ita ut solis Germaniæ Principibus jus esse debeat creandi Imperatorem. Ita magis magisque Roma Germaniæ subjecta & subdita fuit. Et tamẽ certum est, Germaniæ ejusq; Regibus, Imperatoribusque adeo Romano-Germanicis, nihil quicquam juris in Romam Romanosq; hodie competere. Ignosce mihi, ignosce augustissime Imperator Romano-Germanice, ignosce mihi, ignosce invictissime Cæsar, ignosce mihi ignosce clementissime Leopolde Prime, si nimium dixi. Nullus est, ne in Germania quidem, qui Majestatem tuam majori humilitate & observantia veneretur, quam equidem ego faciam: quam in rẽ quidquid in Jure Publico aliquando in lucem edidi publicam, & conscientiam meam intrepide uti humillime antestor: sed non credo, me hactenus à Majestatis Tuæ mente aliquid alienũ dixisse. Capitulationẽ tuam antestor, gloriossime Auguste, qua ad Coronam Romanam petendã te adstringi nolui-

noluisti: Patientiam tuam, Clementissime Imperator, anteceſſorumque tuorũ anteſtor, qua Pontificem Romanũ jã per duo ſæcula quietissime poſſidere permiſiſtis: Si præſcriptio in Imperio tuo, Auguſte, locum te jubente & permittente habere debet, quantã non præſcriptionis molẽ Imperio opponere poteſt Summus Pontifex, Permitte, Auguſtiſſime Cæſar, ut in donationes ab anteceſſoribus tuis factas intueamur: non quidẽ illam Conſtantini Magni quæ rudioribus annis tantopere defenſa, ſed à Baronio omnibusq; emunctioribus hactenus faſtidita eſt, quam tamen ſi ſanctiſſima Tua Majeſtas id ita clementiſſime juſſerit, ut ad rẽ apprime facientem, humillime acceptare paratus ſum: ſed illas intelligo Pipini, Caroli Magni, Ludovici Pii, Ottonis Primi, Ottonis Tertii, Rudolffi Primi, Alberti, Henrici Septimi, Caroli Quarti Sigiſmundi, Carolique Quinti. Quæſo, quid à Caroli Quarti exceſſu repetitum eſt? Quid memoratu dignũ vel à Sigiſmundo vel Friderico pro revocandis Imperii juribus geſtum eſt? Quid Maximilianus? Cogitaverit ſane aliquando de recuperatione: aliis tamẽ occupationibus impeditus, cũ ſæpe expediundis rebus favore Pontificum opus haberet, connivere maluit. At qualẽ ſe Carolus V. exhibuit? Is eum Pontifice ut libero Principe ſemper egit. Et an aliter ſecuti Imperatores? Quis repetiit vel hilum à Pontifice? quis itineri Italiæ ſe accinxit? Et cũ hoc modo Pontifices plus quã ducentis annis, ſciente Imperio & ſilente quietiſſime & continue res ſuas geſſerint, quis poſt præſcriptionẽ conſummatiſſimã rei vindicationẽ inſtituet? aut quis nunc reſtitutionẽ in integrũ impertiet? Poſſident Pontifices non tantum,

ſed

sed & Imperio penitus sibi acquisito possessioni justo hactenus titulo inhærent, nequicquam obligati ad restitutionem. Non recensebo Vobis AA. nunc omnia ea quæ Romanus Pontifex etiã ut sæcularis Princeps summa cum potestate tenet: maxime cũ id noviſſime ex hac eadẽ cathedra, cũ de præstantia atq; autoritate Juris Canonici ad vos verba facerem, latius præstiterim. Nec denarrabo longa serie quomodo sub singulis Imperatoribus majestas illa Paparum sæcularis invaluerit: quod equidẽ nec inutile nec injucundũ fore alias pulchre video: sed non debeo patientia vestra abuti. Unũ permittite saltim hic subjici de Carolo IV. & Innocento VI. Ne verbis meis quid secus exprimã quam oportet iisdẽ indicari, audite ipsius Historici verba: Ita autẽ Mutius Chron. German. l. 25. *Romæ*, inquit, *in Paschatos festo magna solennitate, præsentibus Principibus omnibus, coronatus est cũ sua uxore, nec diu Romæ mansit post coronationẽ, quoniã scribunt Autores quidã, quod Pontifex ei noluerit imponere coronam, nisi juraret quam primũ velle excedere Roma & ex tota Italia. Voluit enim Pontifex consortis impatiens, ut titulo Imperatoris semper Augusti contentus rediret in suam Germaniã, ibiq; Rom. Imperat. exerceret Imperium in Germanos, Romæ Imperium Papæ relinqueret. Neq; æquo animo tum tulit Italia, quod Papa voluit tam cito Imperatorẽ abire, nam seditionum bellorumque causas omnes cupiebant sublatas, quod non poterat fieri nisi uno justo imperante.* Hæc ille. Sane ex superioribus patet, Romano Pontifici etiã si careret Pontificali atq; Ecclesiastica ista sua Majestate, etiã qua Principẽ Sæcularem plura per Italiam detinere quã ipsum quidẽ Rom. Imp. qua talem.

tal ē. Adeo etiā intuitu Majestatis Sæcularis verissimum est, Imperium Romanum in Cerolum aliosque Germanos collatum, nunc revera divisum esse, partemque ejus quatenus Pontifici donatione aut præscriptione acquisita est, in Pontificem Rom. transiisse, & ab eodē Pontificatus aut Principatus nomine detineri: parte altera Imperatori Romano Germanico sub titulo Imperii Romano Germanici remanente: ut augustissimo potentissimoque Imperatori Romano Germanico nil ferme nisi titulus Romani Imperatoris cumque eo præeminentia & præcedentia præ omnibus aliis totius terrarū orbis Imperiis ex Romano Imperio reliquū manserit. Sane intuitu Germaniæ Romani Imperatoris titulus & culmen ad augustissimum Imperat. nunquam promanavit, tū quia Germania tota & qualis nunc est aut olim fuit nunquam Romanis subfuit, tum quia si vel maxima subfuisset eo tempore tamen quo Imperatoris Romani titulū acquisivit, à Romano Imperio plane avulsa fuit. Si quam præter hanc prærogativā, in Germania majestatē habet, qualem profecto habet, eam habuerunt & ampliorē quidē Germaniæ reges qua tales, nō qua Imperatores Romani, cum eadē gavisi fuerint etiā antequam Imperii Romani titulo & majestate augerentur. Sane uti Imperatori eidemque Germanorū regi Majestatem nemo sanus negaverit, eandemq; Monarchicam in reservatis (quæ vocantur) omnes quibus præcordia nō livent agnoscunt: ita diffitendū non est, quoad majestatica illa jura quæ Sacri Romano Germanici Imperii Statibus communia sunt (Communicata vocantur:) Majestatē Imperatoriā immane quantū limitatā aut imminutam esse. Nō immiscebo me nunc controversæ, an Sta

tus Imperii Romano Germanici Monarchicus sit cum Aristocratico mixtus, an Monarchiam potius exhibeat limitatā aut irregularē, aut potius rēpublicam Systematicam ex pluribus compositā: mihī in præsens sufficerit, ipsā rerū experientiā demonstrare quotidianis argumentis. Imperatorē quædā jura solū exercere, quædā nō nisi accedentibus Statuū Superioritate territoriali gaudentiū suffragiis, ut si quis Monarchiā limitatā aut magis cū Timocratia aut Aristocratia conjunctam agnoscere inibī velit, ei ego ulto accedere gestiā. Longū esset omnia ea recensere in quibus Majestas pro parte in Status Imperii transiit: Majestatē ceu rē incorporalem dividi non posse, ratio monet, sed ejus objecta dividi posse, si quis negat, is ob oculos sibi ponat hæreditatē, quæ & ipsa res incorporalis est nec dividi potest, rebus tamen hereditariis per familiæ erciscundæ judicia omni die dividendis. Nunc ut latius nō deducam jus Superioritatis Territorialis quod unicuiq; Statui competens est potestas qua singuli Status suo nomine Territoria regunt eorumq; intuitu actus bellicos & pacificos cū exteris suscipiunt, nec non cū Imperat. & cæteris Statibus de cōmunibus Imperii negotiis statuunt, ita ut actus ex illa potestate profluentes neq; ab Imperatore neq; Imperio toto possint irriti reddi aut eorū nomine ratio postulari: qualis potestas uni cuique Statui singularis est. Lustremus sed viatorie ea quæ Status cū Imperatore jura habet cōmunia ita ut Imperat. per Imperiū German. aut ut à præeminentia cognominatur Romano German. nihil statuere possit nisi adhibitis omniū Statuū Imperii suffragationibus. Et ecce apud notissimos Jur. Pub. Scriptores invenis horū com-

plusc̄la

pluſcula. Tale eſt jus legum univerſalium ferendarum, interpretandarum, abrogandarum. Tale eſt jus ponderis & menſuræ univerſalis per Imperium. Tale eſt jus corrigendi defectus monetæ. Tale eſt jus recipiendi aliquem in Statum Imperii & dandi ſeſſionem & ſuffragium in Comitiis. Tale eſt jus excludendi & ſuſpendendi Statum Imperii à voto & ſeſſione. Tale eſt jus mutandi vel tranſponendi ac abrogandi ſuprema Germaniæ judicia, judicia provincialia Sueviæ Cameramque Rothwilenſem. Tale eſt jus belli nomine Imperii. Tale eſt jus imponendi collectas Imperiales. Tale eſt jus delectus & hoſpitationis militum. Tale eſt jus nova munimenta in Statuum Territoriis exſtruendi aut exſtructis præſidia imponendi. Tale eſt jus Pacis nomine Imperii concludendæ. Tale eſt jus fœderum pangendorum ſive in, ſive extra Imperium. Tale eſt jus mittendorum recipiendorumque Legatorum. Præter hæc ſunt & alia, quæ Imperator equidem abſque omnium Statuum non tantum abſque Electorum conſenſu perficere poteſt. Hujus ordinis eſt Jus introducendæ novi vectigalis aut veteris augendi. Hujus ordinis eſt jus Stapulæ, Jus declarandi in bannum maxime Statum Imperii, Jus concedendi regale monetæ, Jus alienandi & oppignorandi bona Imperii, Jus feuda majora Imperio aperta de novo conferendi. Jus indicendorum Comitiorum univerſalium. Habent enim Imperii Status non tantum in territoriis ſuis Superioritatem ſuam Territorialem, ſed & hujus reſpectu, vi atque poteſtate, Jura Imperialia, votum & Seſſionem in Comitiis. Neque tamen in omnibus eorundem jurium imperatoriorum participes ſunt: ſunt adhuc compluſcula ſoli Imperatori competentia, ipſique ab Electoribus relicta & reſervata, in quibus

bus Monarchica gaudet potestate. Vultis ut nonnulla & hic ex Juris Publici scriptoribus depromam? Tale est jus indicendi ferias per Imperium seu ferias generales constituendi : Tale est jus circa Academias : Tale est jus creandi Reges , Duces , Principes , Landgraffios , Marckgraffios , Comites , Barones , Nobiles , Equites, Comites Palatinos. Tale est jus circa Statuum investituras : Tale est jus cognoscendi de feudis regalibus : de privilegiis à solo Imperatore concessis : de controversiis vectigalium inter Electores aliosque Imperii Status : de controversa Statuum Imperii sessione & prærogativa : Tale est jus circa Imperii officia: Tale est jus ultimæ cognitionis sive extremæ provocationis : Tale est jus legitimandi : Tale est jus concedendi moratorias universales : Tale est jus nundinarum solennium: Tale est jus dandæ Civitatis : Tale est jus Postarum generalium : Tale est jus proponendi in Comitiis : jus absolvendi à juramento ad effectum agendi vel excipiendi, & si quæ sunt alia. Ast ubi manet , dicat mihi quis , Jus circa Sacra & Religionem ? ubi residet Pontificatus Maximus ? Quis nescit , Reges Romanos eodem gavisos fuisse ? Vultis de Numa audire Dionysium Halicarnessensem ? *Instaurata*, ait , *omnium ordinum concordia ut de communi consilio provideretur Reip. duarum rerum imprimis habitâ ratione quas existimaret magnopere pertinere ad felicitatem & incrementum civitatis. Pietatem ante omnia docuit homines , quia Dii mortalibus omnium bonorum auctores sint & conservatores : deinde Justitiam per quam concessis divinitus commodis belle frui liceat.* Sed descendamus ad Imperatores Romanos?

nos : & hos Pontificatu Maximo gaviſos fuiſſe, quis neſcit? Si quis neſcit, is vel ex Juſtinianei Juris Corpore abunde de eo edoceri poteſt. Sed non agam hac hora Juris Romani interpretem. Vel ex Suetonio nunc adducamus, poſt mortem Marci Lepidi, Auguſtum & poſteros Cæſares Pontificatum Principatui ſubdidiſſe. Vultis Taciti etiam autoritatem? Nunc Deum munere, inquit in annalibus, Summum Pontificem etiam ſummum hominum eſſe. At hodie quō abiit Pontificatus ille Maximus? Avulſa eſt hæc Eccleſiaſtica gemma illuſtriſſima à Corona Imperiali: avulſa eſt, inque Romanum Papam translata tiaræ Papali innexa per omnem non tantum Pontifici ſubjectam in Italia ditionem, ſed & per omnem terrarum orbem, ſpeciatimque per Germaniam per omne Romano-Germanicum Imperium radiis ſuis auguſtiſſime coruſcat. Et tamen illud commune habet cum majeſtate ſæculari Imperatori & Imperio Romano Germanico reliqua, quod veluti illa ad ſtatus Imperii Romano Germanici ex parte tranſiit: ita & Jus circa Sacra Pontificatusque Maximus Papæ Romano per Imperatores relictus, nunc ex parte iterum ad Imperii Romano Germanici Status tranſierit. Eſt tamen diſparitas ſumma etiam non una, ſilentio non involvenda. Majeſtas quippe circa Sæcularia quatenus Statibus inhæret, eſt communicata atque cum Imperatore communis, adque omnes Status abſque ullo religionis diſcrimine pertinens: At majeſtas circa Sacra & invitiſſimo Papæ Romano extorta eſt, & Statibus ſolis intuitu Imperatoris inhæret, & tamen ad omnes Status non pertingit, ſolis illis qui Papæ Romani ſacra ejurarunt, Re-

formatis inquam & Lutheranis, superiori sæculo per Pacem Religiosam, hoc sæculo per instrumentum Pacis Westfalicum, ut aliorum mentionem nunc non faciam, impertita; eaque pura, summa & absoluta, nulli ea in parte Pontificis Romani imperio obtemperans aut subjacens. Hæc omnia dum apud animum meum recolo, plane mihi persuadeo, tibias pedesque statuæ illius imperatoriæ apud Danielem Prophetam Nabuchodonosori Nebucadnezari in somniis objectæ omnino Imperium hoc Romanum significasse atque præfigurasse. Tibiæ duæ ut notent duas Imperii Romani partes inter Imperatorem & Pontifices divisas. Sed veluti hæ duæ tibiæ pedibus innituntur partim ex ferro, partim ex luto compositis: ita & Imperium Romanum & Pontificatus Romanus partim stabilitate ferreâ gaudebunt, partim ad instar luti aut imminuentur aut conterentur. Majestas Imperatoris Papæque ferrea stabilisque quatenus ipsis solis reservata manet: at lutea & transitoria quatenus Imperatoriæ Majestatis particulæ ad Status omnes, Pontificatusque Papalis fragmina ad Status Reformatos & Lutheranos devoluta sunt. Et veluti pedes dictæ Statuæ Propheticæ in suos digitos, quorum numerus non exprimitur, divisi apparuerunt: ita majestas illa aut ab Imperatore communicata, aut à Papa Romano recuperata, compluribus Imperii inter se Superioritate Territoriali divisis Statibus, quorum tamen numerus à nullo determinatur, communis est. Et veluti in diviso illo regno quarto ex Danielis prædictione carnales conjunctiones frequentabuntur, neque eæ tamen ad pertuum nexum proficient: eodem modo Status Imperii matrimonialibus vinculis territo-

ria

ria sua omni die coadunant, postea iterum dissocianda atque divellenda. Et veluti dictum ferrum lutumque, regnum partim durum partim fragile denotavit, ita diffitendum non est inter ipsos non tantum Status ratione Superioritatis Territorialis augustioris aut angustioris ferrei luteive quid apparere, sed in ipsis Imperatoris Papæque potestatibus utrumque clare conspici. Quid? an non & in figuli luto aliud quid mysterii est. Quid? annon Status Reformati atque Lutherani Papam Romanum, ut figulus vasa, ad lubitum ferme suum quoad Sacra & religionem efformarunt? Quid de Capitulationibus cum Cæsare conventis aliud dicemus quàm quod formæ sint ad quas se futurus Imperator teneatur componere? Dices: non esse tum in Imperio Romano Monarchiam. At ego regero, manere ex parte Monarchiam: quin finge, ne ex parte quidem permanere Monarchiam, jam perpendi cupio, neque Danielem exigere Statum Monarchicum: quin contentus est regno non Monarchico, sed in duo divisorumque in plusculos digitos seu partes abeunte. Quale profecto regnum aut cum Imperio Romano exacte congruit, aut cum nullo. Scio ab aliis aliter hæc explicari: sed quare illis accedere nequeam, longior est differendi campus quùm ut in eum cum maxime exspatiari debeam. Nonnullas saltim aliorum sententias obiter inspiciamus. Sunt qui divisionem hujus Imperii sive Regni Quarti de divisione Imperii Romani etiam quidem accipiunt, sed de longe alia divisione, qua scilicet olim in Orientale & Occidentale distinctum fuit. Hos sequi non ausim, non quidem quasi deterreat me id quod à quibusdam urgeri video, regnum hoc quartum illico & à sui adeo principio debere in

partes distinctum divisumque esse: illud enim Daniel non exigit, quinimo conjunctionem primitivam eo ipso requirit, dum tertio regno non nisi ventrem & latera assignat, ut sequentem cohærentiam ad quartum regnum referat, quod non statim dividetur, sed deinceps tempore venturo, velut corporis humani infra ventrem connexio deinde in sua crura, pedes, digitos, abire cernitur. Nec impedit quod ipsa Statua conjunctionis post ventrem & latera mentionem non faciat, sufficit enim rationem ipsam talem conjunctionem exigere: quēadmodum nec digitorum, pedum mentio in ipsius Statuæ enarratione adjicitur, sed cum ratio hos desideret, Daniel in expositione sua eorum dememinisse noluit. Verùm istud me vehementissime abstrahit, quod statua ista Prophetica duobus cruribus duobusque pedibus perpetuo instructa sit: at Imperium Romanum postquam in Orientale & occidentale partitum fuit, non diu his duabus partibus gavisum fuit, cum Occidentale Imperium confestim interierit: cúmque idem Occidentale deinde quasi ex cineribus & ruderibus resuscitatum est, confestim corruerit Orientale, nulla nec matrimonii nec ullius alterius rei interventus spe Occidentali iterum sociandum, sed sub barbarum, Turcarum maxime, tyrannide jam aliquot sæculis hærens & proporro hæsurum: ut si Imperii Romani primordia ad hæc usque tempora repetas, magis uno quàm duobus sultum fuerit crure, magisque steterit pede in uno quàm duobus respectu inquam habito ad dictam illam in Orientale & Occidentale Imperium divisione. Quid dicimis heic de duabus tibiis? Quid si Imperium Romanum, si Imperia

peria Politica ſpectes, quatuor aut tribus aliquando tibiis ſtetit? Etiam diu poſt diviſionem illam, inquam, Theodoſianam. Quid? Neſcimus eteoſtichon illud: Bis ſexcentenus fuit annus, bis quoque binus, Quo Conſtantini dominantur in urbe Latini? Cum Imperium Latinum ea tempeſtate Conſtantinopoli tenerent Balduinus, Henricus, Petrus, Robertus, Balduinus II., quæſo cujus portio hoc Imperium tum fuit? Non Occidentalis Imperii, cum eo enim Oriens in quo hoc Imperium ſæculo decimo tertio enituit nihil hactenus commune habebat. Si ergo iſti Latini tenuerunt Orientale, ſequitur Græcos illos Imperatores Theodorum I. Johannem III. Theodorum II. Johannem IV. & Michaëlem Palæologum, qui eodem ſæculo Nicææ conſidebant, tertium Imperium conſtituiſſe. Aut ſi hi Nicæi ſive Græci Imperatores Imperium Orientale tenuerunt, ſequitur Latinos illos Conſtantinopolitanos tertium Imperium conſtituiſſe. Sed & quartum Imperium eodem ſæculo, Trapezuntinum ſcilicet, invenias: quod ab Alexio Comneno cœptum deinde ad Davidem per ducentos annos decurrit. Quid? & quintam tibiam agnoſcas in regno illo Hieroſolymitano ſæculis duodecimo & dicto decimo tertio prognato. Videmus ſane duas illas tibias Danielis huc non pertinere. Quin ſi poſt Conſtantini mortem Imperium ſtetit duabus tibiis, quæſo ubi tertia tertii Conſtantini Magni filii portio manebit? An non tum tres tibias agnoſcemus? Quin cum Conſtantius Conſtantini Magni filius ſolus deinde rerum potiretur, ubi tum fuit altera illa ſeparata Imperii tibia, ſub dicto Imperatore Conſtantio ite-

rum alteri juncta? Ubi fuit separatio sub successoribus dicti Constantii Juliano & Joviano? Iterum ut appareat duas illas Danieliticas tibias cum accessoriis suis ad Imperium aliquod Sæculare Orientale & Occidentale pertinere non posse. At contra, perpende quomodo omnia cum explicatione nostra concordent? Enim vero postquam Imperatoria Majestas & Pontificatus Maximus à se invicem semel secesserunt & utriusque particulæ aut partes potius in digitos abierunt, ibi perpetuo utrumq; crus, utrumq; tibiam, utrumq; pedem & distinctos utriusq; digitos deprehendis, & ad finem usq; universi hujus deprehendent, qui post nos venturi sunt. Est hæc quippe concors sententia, Pontificis Romani finem non futurum, nisi sub adventum Domini nostri Jesu Christi. Si dixeris, nec hæc ab initio divisa fuisse: quæso, jam supra hoc dubium sustuli. Immo quid si jam ab illo ferme Imperii Romani initio divisum hoc imperium in Sæcularem Ecclesiasticamque tibiam fuit. Quid enim? Compello vos qui Pontificiis sacris addicti estis & Catholici appellari discupitis: quid? annon ipse Christi Discipulus & Apostolus S. Petrus continuo, primum Antiochiæ septem, tum Romæ viginti annis, Pontifex Maximus sedit? annon hunc perpetua serie S. Linus, S. Cletus, S. Clemens, S. Anacletus, S. Evaristus, S. Alexander Primus, S. Sixtus Primus aliique Successores ad hæc usque tempora exceperunt? Quid? Annon ergo à S. Petri tempore Pontificatus ab Imperatoria Majestate fuit remotus? Fateor, nondum primis istis temporibus Pontificatus summæ Majestati erat conjunctus, adeoque nondum velut altera Imperii portio potuit æstimari; sed verum nihilo minus

est

est illum nunc Summum adeoque Majestaticum Pontificatum jam tum radices jecisse & fundamentum suum habuisse. Et quid vos ad hæc respondebitis ô Evangelici, qui vos Reformatos Lutheranosque vocatis? Ex vestra doctrina jam Apostolorum tempore Anti-Christus lacertos movere incœpit. Quicquid sit, non exigit statua Danielis continuam divisionem ratione ortus, uti continuam perpetuamque divisionem ratione progressus. Quartum regnum postquam divisum fuit, divisum fuit, divisum manere debet perpetuo. Negamus hanc divisionem? Universos nunc sine religionis discrimine compello, dicite, quis in Imperio Romano se superiorem Papa esse profitebitur? Quis est, qui dignitate se Papæ præfert? Quis contra est, qui non Papam ordine summum aut lubens deprædicat aut invitus agnoscere tenetur? An non ergo Papa ordine summus est? Aut quis eo est superior? Loquor desummitate, Auditores, aut æqualitate Romana. Sed ad aliam aliorum Danieliticæ statuæ explicationem progrediendum est. Ubi iterum abs me usque adhuc impetrare non potui, ut veritatis aliquid inesse crederem explicationi illorum qui divisum istud regnum Danieliticum non de Imperio Romano sed Alexandrino interpretantur, existimantes duobus istis cruribus pedibusque Alexandri Magni in Syriam & Ægyptum Successores Seleucidas Lagidasque denotari. Scio multos eruditos Viros hanc explicationem sequi, sed, quod salva illibataque eorundem pace & autoritate dixerim, parum ad mentem Prophetæ. Propheta vult regnum illud æternum, quintum illud, per quatuor regnorum, de

quibus ibi loquitur, tempora esse suscitandum : At regnum Christi vel maxime suscitatur post Seleucidarum Lagidarumque interitum. Quis enim negat post Tigranis Cleopatræque excidium adeoque ante Christi adventum Syriam Ægyptumque in formam Provinciarum redactas esse? Non fuerunt ergo hæ regni quarti pedes, utpote quos lapis ex monte excisus, ut tota statua corruat, concutiet. Qui Danielem inspexit, is novit Statuam Nebucadnezari objectam fuisse cum sollicitis curis pectus suum de futuris oppleverat : at sane futura, Lagidarum Seleucidarumque termino non terminantur : aut existimat quis Romanorum sub Trajano maxime vastissimum imperium, imperium minus fuisse quàm aut Syriæ aut Ægypti? Sane cum Imperatoriæ hæ Nebudnezaris circa regnorum fata curæ ex somniata statua de futuris regnorum, Imperiorum inquam politicorum, eventibus debuerint edoceri : consequi videtur & illos errare, qui statuæ hujus eversionem de tollenda per Christi adventum Superstitione : & illos qui de gentis Judaicæ statu statuæ compagem interitumque, nobis exponere gestiunt. Danielem sanè hæ curæ fatigaverint, cum ipsi quatuor illæ bestiæ per somnium objiciebantur: ut somnia ista statuæ & bestiarum, uti à diversissimæ conditionis hominibus somniata sunt, ita quoque diversissime explicationis censenda sint. Sane circa easdem res Nebucadnezarem & Danielem sollicitos fuisse, ne quidem Judæus credet Apella, nec insanus juraverit Orestes. Verum veluti cæteræ apud Danielem occurrentes prophetiæ diversi scopi diversæque explicationis singulæ sunt, ita nec credibile est, unam eandemque rem geminis apud illum Prophetam extra morem solitum visionibus prænuntiatam

fuisse. Immo diversitatem regni quarti per statuam significati, ab regno illo quarto per ultimam bestiarum adumbrati, ipse Daniel non unam clarissimis verbis indicat. Regnum Imperatoris Nebucadnezaris pedes digitosque habet ex luto ferroque mixtos: at Regnum Danieli per bestiam quartam significati ungues habet mere chalybeos. Istud decem cornibus instructum est: Hoc duobus pedibus. In hoc surgit unum parvulum cornu & tria alia fecit coram conspectu suo eradicari. Horum omnium istud nihil habet. In hoc adhuc complusicula alia sunt: cum istud duobus suis cruribus, duobus pedibus, digitis non numeratis, absolvatur. Restat ergo ut diversa regna diversarum harum visionum agnoscamus: & Satuæ quidem quartam partē de Imperio Romano: Bestiam autem quartam de regno Seleucidarum & Lagidarum sub quo Ecclesia Judaica gravissime afflicta fuit, interpretemur: sane bestiam hanc ad Imperium Romanum non trahamus: profecto enim decem abscisse cornua, unumque parvulum tria absumens, quomodo ad Imperium Romanum recte applicari queant, ne ipse quidem Argus viderit. Scio virum magnum decem illa cornua, decem in Imperio Romano regna interpretatum eademque in Syria, Ægypto, Asia, Græcia, Africa, Hispania, Gallia, Italia, Germania, Anglia, speciatim ostendere annisum fuisse. Verum quis non illico quasi manibus palpat, hoc in catalogo & excessu & defectu peccati, & non modo præter necessitatem unum Imperium in duo dividi, sed & alia præter rationem prorsus omitti. Illud neminem à sententia nostra absterrere debet, quod quàm pluri-

pluria alia imperia excellentia post illas visiones exorta fuerint, inter quæ Turcicum, Persicum, Sinense, Abyssinum, aliaque merito hodie numeramus quorum amplitudinis intuitu Germania vix Provinciæ nomen obtineat: cum Nebudnezaris cogitationes de principatibus super alios dignitate eminentibus simulque potestate valentibus conceptæ fuisse videantur: sane de propriis monarchiis intelligi non possint. Quis enim sibi persuaserit extra Imperia Assyriorum, Medorum, Persarum, Græcorumque, nullum præter ea imperantem sub hoc sole fuisse? quis credat orbis totius illos dominos exstitisse? Sed veluti tria illa ante Romanum Imperium regna (monarchias alii cognominare volunt) dignitate & potestate præ cæteris effulserunt, ita dubitandum non est, in Imperio Romano uti nunc in crura, pedes, digitosque horum scissum est, in hisce inquam singulis eam dignitatem eamque potestatem esse, qualem nullibi terrarum in aliis imperiis invenias: etsi & subinde quid luti immixtum sit, qualem mixturam nec alibi deprehendas. Sed & eo Romanum Imperium cæteris omnibus quotquot aut hactenus exstiterunt aut cum maxime existunt, illustrius est, quod per tot sæcula duraverit steteritque: etsi enim luti figulini admixta fragilitas atque versatilis mobilitas, multas in eodem mutationes metamorphosesque admiserit, quin & ipsum imperatoriæ majestatis jubar à Romanis Græcos, Francos, Italos, Gallos, Saxones, Suevos alioque, & nunc in Austriacos transtulerit: ipsæ tamen Romanæ glorioſissimæ eminentiæ ferreus character & imago ubique figulini luti mutabilitati perpetuo adhæsit, adhærebitque huic aliive, usque dum lapis ille

ex

ex monte excisus, qui non est in ullis manibus, imaginem hanc ad pedes ipsius ferreos & luteos percutiat, hique ut cætera imaginis comminuantur, ut gluma ex areis æstivis, ita auferat omnia ventus, & nullus inveniatur eis locus, ipse autem lapis qui percussit imaginem efficiatur mons magnus, totamque adimpleat terram, Deusque Regnum cœleste quod per quatuor istorum regnorum tempora suscitavit, sub quarti finem & excidium plene manifestet, duraturum staturumque in sæcula. Quæ dum nos in hac lacrumarum valle expectamus, quæso, A. H. non tantū rerum has vicissitudines ruminemur, sed & spes nostras ab omni humano fulcro abstrahamus, aut saltim in eodem nequaquam acquiescamus, sed à Deo in cujus manibus sunt regna & imperia eorumque tempora uti æternam ita & temporariam omnem beatitatem expectemus, expetamus. Caveant sibi Germani ab ista nonnullorum superstitiosa persuasione, quartam hanc Monarchiam sive quartum hoc illustrissimum, ut ego loqui malo, Imperium à Germanis avelli non posse: quin jam apud alios fuit, quid obstat quo minus hæc imago ad alios iterum deferatur? non sane Danielis prophetia, hæc ferri vim, fateor, ad finem usque orbis terrarum videtur appromittere, sed ea ferri vis, lutosæ est immixta mutabilitati & fragilitati: potest imago hæc Romani Imperii ab una gente in aliam transire, & cum luto misceri nunc hoc nunc alio. Quid ergo? Post Deum, fortitudinem vestram & pristinam & præsentem respicite heroes Germani: generosa pectora, fortes animos excutite, Viri gloriossimi: his vos post fiduciam in Deum repositam tuemini, his Imperii Romani splendorem & præ omnibus aliis

præ-

præeminentiam vobis ſervate : his telis irruentes prehenſantesque alios avertite, excutite, proterite. Ad arma, ad arma Leopolde, ad arma, auguſtiſſime Cæſar : non ſolum adverſus eos, quos in præſens debellas, glorioſiſſime barbarorum triumphator: ſed & adverſus eos, à quibus timere Tibi potes debesque. Nullum tibi præſidium præbent Nebucadnezaris inſomnia : Poſt Deum, Auſtriaca illa virtus tua eſt, quæ tibi Imperatoris Romani decus conſervare contraque invaſores quoſcunque tueri poſſit. Hæc poſt Dei benignitatem eſt, quæ Te Germanis viribus fultum adverſus invaſores quoſcunque munit, quæ tibi Magni cognomen parit, æterniſq; majeſtatem tuam cedris inſcribit. Ad arma: Leopolde Cæſar: ad arma! non aliis injuſte movenda, ſed ab aliis injuſte tibi inferenda, Germanorũ virtute ſuſtinẽda, amolienda. Tempore pacis de bello cogitandum eſt non injuſte ciendo, ſed fortiter ſuſtinendo & debellando. Vel Illuſtriſſimorum Præpotentiumque Fœderati Belgii Ordinum intereſt, te vicino frui, te amico, te ſocio, te confœderato incolume proporro gaudere. Et hi de muniendis Belgii ſui pomœriis cogitant: Sed & muniunt, dum de Tua incolumitate ſolliciti ſunt. Neque alienus ab his curis eſſe poteſt Auguſtiſſimus Magnæ Britanniæ Rex, Jupiter ille Stator. O lætæ horæ! quæ ipſum nuper reducem Belgico ſinu receperunt? O aurei dies quotquot ipſum ſub amico, Germanico inquam, ſole adſpicient? Exue nunc galeam, Wilhelme Dei gratia Tertie : Depone nunc caſſida, deſideratiſſime Princeps, & per amica tibi loca, poſt tot exantlatos pro omnium quiete duriſſimos labores, poſt tot devoratas ſæviſſimarum tempeſtatũ moleſtias, poſt tot adita & ſuperata pericula, molli-

ter

ter placideque quiesce. Imo ad galeas, ad galeas, Wilhelme invictissime, ad galeas Serenissime Potentissimeque Princeps, Rex augustissime: ad galeas, pro nobis resumendas tibi opus fuerit: pro muniendo Belgio, immo & pro munienda Germania, ferme dixerim.: imo jam Dixi. Et nunc ab augustissimis istis quæ memoravi Imperiis ad Academiæ nostræ regimen delabor, non ut hoc cum istis comparem, nedum ut æquiparem, absint, absint procul ab hoc illustri loco tales affaniæ: sed ut omnium rerum vicissitudines, etiam maximarum, de quibus dixi, etiam ex minimis ut jam supra commonui discamus. Magistratum Academicum ante annum in Comitiis Academicis in me collatum, nunc mihi Patrum Academicorum suffragatione, etiam meo ipsius calculo, ademptum videtis. Suscepi illum sponte, sed ut sponte derelicturus. Suscepi eundem magna animi alacritate, sed ut majori alacritate eundem depositurus. Suscepi, sed non ignarus molestiarum quæ eundem concomitantur, adeoque non ea cum lubentia & voluptate eundem adii, qua eum nunc relinquo. Non ignoravi quibus molestiis me subderem, cùm Academicos istos fasces susciperem. Et qui ignorarem? qui totiens & in hac Academia & in aliis Universitatibus Senatui interfueram, quin & Rectura magnifica jam antea defunctus fueram. Nolui tamen spernere Amplissimi Senatus Academici benevolentiam, ne laboris molestiæve aliquid pro Academiæ incolumitate aut decore subterfugere velle videri potuissem. Reipublicæ me natum esse, non mihi soli, ab Ulpiano meo didi-

didiceram: & quid subtraherem me curis Academiæ cui me totum devovi? Qua autem dexteritate aut fidelitate muneri meo prætuerim: judicent alii. Sufficit mihi si bonorum desideria expleverim, sufficit mihi ille murus aheneus, nil conscire sibi nulla pallescere culpa, sufficit in magnis voluisse, sufficit si Illustrissimi Domini Ordines, si Amplissimus Senatus Academicus, voluntatem meam in solutum accipiant: quid Ajus garriat Lucutius, quid Seja deblateret Carthusia, ne unius æstimaturus assis. Imprimis enixe gaudeo Academiæ sub Rectoratu meo nihil quicquam detractum fuisse, quin una alterave in parte notabiliter ipsius dignitatem & potestatem enituisse. Omnibus notum est quid circa processum concursus creditorum defuncti novissime Professoris Medici Practici actum sit. Erant qui Jurisdictionem Academicam ad Concursus præferentiasque creditorum & quæ ad ea spectant non pertinere arbitrabantur, quin res jam eo devenerat ut importunis nonnullorum precibus per sub & obreptiones illustrissimus almæ hujus Urbis Magistratus sollicitatus processum hunc Concursus creditorum ab Academia ad suum illustrissimum tribunal avocare voluisse videri potuerit. Disputatum super ea re est in ipsa illustrissimæ Civitatis Curia, contra Academiam nostram stante lectissima disertissimorum Advocatorum triga, pro Academiæ privilegiis orante solo Academiæ Secretario, Cl. Braunio. Partibus hinc inde auditis: Illustrissimi Proceres victoriam Academiæ adjudicarunt. Tum non cessatū est à parte Academiæ: compellavimus Amplissimum Perillustremque tum temporis Civitatis Præsidem Dominum Consulem de Drevvs, eique tutelam pri-

prrivilegiorum noſtrorum Academicorum omni ſtudio commendavimus. Ago tibi gratias, Peril-luſtris D. Conſul de Drews, quod non tantum ſchedulas ab illuſtriſſimo Senatu Civico pro citandis creditoribus præfati Profeſſoris Medici defuncti affixas, paſſus fueris detrahi, ſed & lubens videris conſimiles creditorum dicti Profeſſoris convocatorias ſchedulas ſub Nomine Rectoris & Senatus Academici, idque vigore privilegiorum & jurium Academicorum, typis publicis exſcribi, & per Pedellum Academicum non ad Academiæ tantum valvas, ſed & alibi publicè affigi. Ago tibi gratias Ampliſſime Civitatis hujus Senatus, quod tales Academiæ, quas dixi ſchedulas atque affixones in ipſa tua Curia paſſus fueris. Scilicet id conveniens erat Academiæ conceſſis privilegiis atque legibus, quibus diſertè omnis circa Academicas perſonas, & ſpeciatim quidem, ubi de ære alieno agitur, Civilis Juriſdicto Academiæ conceditur, eademque cum privilegio de non appellando, niſi duobus caſibus, cùm appellans ſcilicet Profeſſor fuerit, aut appellans alius etiam non Profeſſor in fama læſus ſit: ita tamen ut nec his duobus caſibus ad ullum alium appelletur quam ad ſolum Academiæ noſtræ Ampliſſimum ex Curatoribus Profeſſoribuſque conſtantem Senatum, à quo tum nullus ultra etſi Profeſſorem cauſa tangat aut infamiam irroget, appellationi locus eſt. Verba ipſa Legum ex hac cathedra recitavi, cùm Cl. Menſingæ juſta funebria perſolverem, cùm autem memoria hominum labilis ſit, mea autem non tantum ſed & Academiæ interſit, ab omnibus intelligi nihil à Rectore & Profeſſoribus geſtum fuiſſe quod non cum Legibus Juribuſque Academicis concordet, non

gravabor dicti Juris Academici catenorem prout ab Illustrissimis Provinciæ hujus Ordinibus immediate defluxit, heic iterato apponere. Percipite igitur, sultis AA. Humanissimi, ipsissima privilegiorum Academicorum verba, prout in Archivo Academico recondita reperiuntur. Horum pars huc spectans, lege nona ita concepta est: *Ut nulla Academiæ membra ob æs alienum aliasque causas civiles, à Magistratuum Civilium Ministris in jus vocentur, sed actores sequi forum Academicum teneantur, nec ab eo provocare permittantur.* Audiatur & lex vigesima quarta illustrissimorum Provinciæ Groningæ & Omlandiæ Dominorum Ordinum, & est sequens: *In delictis si pœnis opus sit, ea sunto, multa pecuniaria, carcer, nominis ex albo Academico dispunctio, relegatio aut momentanea aut perpetua. Majores in criminibus gravioribus quæ pœnam corporalem aut capitis merentur, Magistratui civili manento.* Denique inter Leges Studiosis latas est hæc sexagesima quarta, ubi sub finem: *Cognitionem* (ait Legislator nostras) *de delicto & pœnæ irrogationem Rector Magnificus cum Assessoribus suis aut toto Senatu Academico* (*si modo delictum capitale non sit*) *habeto.* Ita hæ leges sexto à natalibus Academiæ anno ex voluntate & Decreto Dominorum Curatorum & Professorum à Cl. Viro Ubbone Emmio inductæ sunt: Ast stylo antiquiore quo ab initio in ipsis Academiæ natalibus A.C. 1614. fuere conceptæ, ita hoc expressum legitur: *si crimen sit quod capitalem pœnam mereatur, super eo Magistratus cognoscat.* Ibidem in dicta lege vigesima quarta ita habetur: *Pœnæ majores in criminibus gravioribus quæ pœnam corporalem aut capitis mer-*

merentur, Magistratui Civili manento. Cœtera autem cum Emmii stylo omnino concordant. Nunc audite sultis Protocolli nostri Academici particulâ brevem: *Anno 1619. 18. Octobris, præsente Rectore Magnifico, Dominis Curatoribus & Professoribus, præter Dn. Gockinga & Dn. Emmium, cum legeretur Lex Nona, quæsitum fuit, an nunquam provocare liceat à sententia Senatus Academici? Ac post varias disceptationes tandem visum fuit, nullum esse appellationi locum in causis civilibus, nec in criminalibus levioribus momenti. Sin causæ civiles & criminales graviores fuerint, licebit appellare à sententia Rectoris & Assessorum ad plenum Professorum Collegium. Quoties vero causa aliquem tanget ex Professoribus, vel quando agetur de fama Rei: tum concedatur appellatio à consessu Professorum ad conventum Curatorum & Professorum; unde nullus erit ulteriori appellationi locus.* Appellans *ad Professores, deponere tenebitur dalerum unum: appellans ad Curatores & Professores, deponet daleros duos pecuniæ illius jacturam passurus si frustra appellaverit. Hæc Iurisdictionis ratio semper deinceps obtinuit ac programmatis DD. Ordinum confirmata fuit.* Ex hisce satis opinor constat de amplissimo illustrissimoque illo Academiæ nostræ privilegio *de non appellando*: idque bis sub Rectoratu meo usus approbavit. Et semel quidem in persona Studiosi alicujus paulo ante Rectoratum meum in carcerem detrusi, qui appellationem & interposuit & introducere gestiit & acta prioris instantiæ à Senatu enixe & enixissime efflagitavit, sed omnia irrito eventu, eo quod Studiosus esset non Professor, sententia autem in ipsum à Senatu lata cautum esset, ut omnis illa

incarceratio fieret sarta & illibata ipsi Studioso incarcerando fama per omnia. Deficiebat ergo uterque ad Amplissimum Senatum appellationi locum faciens casus, veluti ita tempore Rectoratus mei non Senatus tantum Academicus sed & illi ad quos appellare gestiebat, judicarunt. Alterum appellationis tentatæ at rejectæ exemplum præbuit causa illa concursus creditorum de qua statim dicebam. Appellaverat à sententia Deputatorum Senatus, unus & alter. Pharmacopola quidam ad Amplissimum ex Curatoribus & Professoribus constantem Senatum. Sed cum Pharmacopola nec in fama læsus esset, nec studiosus existeret, rejecta fuit appellatio à primo cum maxime Academiæ Curatore illustri quem jam nominavi & præsentem videtis D. Consule D. Drews: Interim admiserunt tamen Professores à Deputatis Professorum ad plenum solorum Professorum Senatum appellationes institutas, at postquam à Professorum Senatu sententia in eadem causa esset lata, jam omnis deinceps appellatio rejecta fuit. In dictis autem appellationibus à Deputatis Senatus Professoralis ad ipsum Senatum Professoralem in memorata concursus causa factis & acceptatis, sententia Deputatorum im omnibus à Senatu Professorum comprobata fuit, uno articulo excepto, quo dicto appellanti Pharmacopolæ summa major tributa fuit, non quasi Deputati in concipienda sententia circa hunc articulum vel hilum peccassent, sed quod ipse Pharmacopola rationes suas non expressis sumtuosioribus medicamentis ad communem Pharmacopolarum methodum ordinasset, cum debuisset inter alia indicasse clysteres vino se coxisse, quod Deputatos non monuerat, qui proinde vi-

na

na isti parti corporis adhibita fuisse conjicere non poterant : argumento ergo etiam isto novo à posteriori, ut ita loquar, apud Senatum proposito obtinuit à prælaudato Professorum Senatu ea in parte sententiæ à Deputatis Professoribus latæ reformationem. Fuit ergo in causa Studiosi in carcerem detrusi Jurisdictio Academica quoad Imperium Merum Academiæ extra pœnas corpori infligendas (adeoque etiam quoad infamiæ irrogationem) reliquum : in causa verò concursus creditorum Professoris, quoad Jurisdictionem Civilem Academiæ omni modo & absque ulla restrictione cum Imperio Mixto competentem : notabiliter utrobique in illustrissimo illo privilegio suo extremæ provocationis sive de non appellando stabilita. Insignis profecto hic Rectoratus annus extitit, qui concursum talem à primis huc usque Academiæ incunabulis primus solusque in Academia vidit, sed & terminavit. Voveo ut consimilem proporro non persentiat : aut si iterum sentiet, hortor ut pari alacritate omnes difficultates & molestias, & suscipiat & eluctetur, qua me honoratissimosque Collegas meos idem feciisse, omnes norunt. Inveniet Senatus in posterum in Archivo nostro filium Ariadneum juxta quod se ex labyrintho isto creditorum commodè queat expedire. Succedat aliud Jurisdictionis nostræ Civilis anni nunc elapsi argumentum. Oeconomus Provincialis Bursæ fidejussorem pro Studioso in dicta Bursa vivente acceperat civem Helpensem prorogata Academiæ Jurisdictione in memoratum fidejussorem alias Jurisdictioni Academicæ non subjacentem : in jus vocatus citatusque per Pedellum no-

strum fidejussor comparuit, obmotaque sed rejecta fori declinatoria exceptione, litem contestatus est, Advocato eodemque Doctore munitus profecto disertissimo: cumque hic & gladio accinctus & pileo ornatus causam clientis oraret, injunctum Senatus communi Consulto eidem fuit ut & gladium & pileum seponeret: Fecit id equidem Vir Laudatissimus, sed non nisi obmoto dubio quod jus Pilei ipsi ab eadem nostra Academia concessum esset, cui ex SCto responsum est, jus Pilei esse concessum extra contemptum Jurisdictionis tum alterius cujuscunque tum speciatim Academicæ, & hujus quidem sane non vilis, talis scilicet quæ appellationi extra Academiam nulli subjecta sit, quali illustri splendidoque privilegio ornatam nullam aliam Universitatem literariam, nec Gymnasium inquam ullum nec Academiam ullam in Belgio, nec in universo Romano Germanico Imperio ullibi facile invenias. Qui deinceps Jurium Doctores & Advocati coram Senatu nostro Academico comparuerunt in aliis causis, illa maxime concursus creditorum de qua antea memoravi, in qua aliquando junctim quatuor, pluresque, interque eos nonnullos olim disciplinæ fideique meæ concreditos, summa cum animi voluptate, doctissime facundissimeque ambigua clientum suorum fata egregio gloriosæ vocis confisos munimine sustinentes vidi audivique: hi inquam ad unum omnes illustrissimam Academiæ nostræ Jurisdictionem sepositio gladio apertoque capite ultro lubentesque agnoverunt & venerati sunt. Silentio etiã hic involvendum non est eum qui auctionum Academicarum Scriba, & Academiæ hactenus minister est, ob causam auctiones minime

minime spectantem, sed ob injurias Professoribus nonnullis illatas, ad forum Academicum per pedellum evocatum litem contestatum esse: lite eadem adhuc pendente. Et illud memorabile est quod mihi ipsi hoc Rectoratus mei anno evenit ad Academiæ privilegia respiciens. Inter hæc indulgentia Illustrium Procerum relatum est, domus Professorum à à vigiliis debere esse immunes: neque distinguitur, unam inhabitent domum vel plures. JCtos Lex docet, beneficia Principum laxe esse accipienda: alios sana Ratio monet quod olim Senecam, beneficia Principum ex pleno fluere: nemo ergo dubitabit, si forte Professor aucta familia aliamve ob causam duabus ædibus indigere noscatur, quin inquam, ex mente Illustrissimorum Procerum talis Professor ratione geminarum ædium à vigiliis earumve redemtione pecuniaria immunis sit. Et tamen mihi factum est, ut, cum superiori anno duabus ædibus in hac platea & sobole & exteris Studiosis Juris (quos ad Virorum summorum, Gerhardi Feltmanni, Ulrici Huberi, Johannis Friderici Bockelmanni, Leidensis, Franequeranæ, hujusque nostræ Academiæ quondam splendidissimorum & post immatura fata perennaturorum luminum exemplum, sub tectum meum subinde recipere mensæque meæ & amicitiæ familiarioris participes facere suevi) cum ob familiam, dicere volebam, meam non tantum sobole, sed & Studiosis Juris auctam duabus ædibus uti necesse haberem, Centurio quidam civicus simulato Præsidis jussu ratione alterutrius domus vigiliarum quas non exhibuissem redemptionem pecuniariam non tantum peteret, sed & adhibito Illustrissimi Senatus Urbani nuncio duobusq; tympanotribis depostularet. An hoc attentatum in extraordinarium Con-

cussionis crimen incidat? alii judicent: ego sententiam meã confestim deprompsi edita publiceq; disputata pro Irnerio injuria vapulante coitione trigesima octava. Mihi sufficit, Illustrissimum Civitatis nostræ Senatum Rescripto me & per me Academiam nostram, nulla adhibita inter familiam auctam aut non auctam, sed nec ulla alia adhibita distinctione, in privilegio, quod Professorum domus à vigiliis liberat, etiam in casu quo quis duabus domibus utitur, confirmasse: quod Rescriptum 20. Decembris 1697. mihi impertitum, & abs me Senatui Academico exhibitum fuit. Ago tibi gratias Illustris tum temporis civitatis PræsesDomineConsul Buschi qui Academiam & me autoritate tua fulcire dignatus es: Ago tibi gratias, Illustris almæ Groningæ Senatus quod Academiam in me privilegiis suis gaudere debere, ex SC. rescripsisti. Agite Illustres Proceres, eandem ita proporro & conservate & ornate: benigneque porro cavete, ne Apollo quem intonsum novistis per alios tondeatur. Æquissimum est artes honoribus ali, adeoque eos qui remp. vestram laboriosissimis studiis ornant, privilegiis vicissim ornari.

Frange leves calamos & scinde Thalia libellos
Si dare Sutori calceus ista potest.

Antequam à Jurisdictione Privilegiisque Academicis abeam, adhuc moneo, secunda Maji in domo civis urbani cameram Studiosi fuga elapsi, per Secretarium Academiæ autoritate Senatus Academici apertam fuisse. Vigesima quinta Aprilis arrestum decretum fuisse absente Rectore & Protectore per primũ inter cœteros Professores, de quo conf. Goth. *ad l. 1. pr. ff. de alb. scrib. lit. z.* Septima Julii dedisse me

me testimonium duobus Studiosis qui eodem oneri caminario gestiebant subducere cameram conductam. An heic etiam memorabo occasione Studiosorum nonnullorum diversoria crebro habitantium inibiq; cerevisiæ viniq; debitorum, quæsitum fuisse, an Studiosus SC. Macedoniani similive exceptione se tueri posset? Compertumque esse, Studiosos nostræ Academiæ ex debito cerevisiario non obligari nisi usque ad summam trium aureorum Carolinorum: circa vinum autem ne teneantur Studiosi ultra quinque aureos ejusdem trimestris, olim cautum, cum autem cerevisiariis Studiosorum debitis olim unus tantum Imperialis indultus, hic autem ad tres aureos extensus sit, consequens visum fuisse, & hanc extensionem ad debita vinaria producere, ut loco duorum Imperialium sive quinque aureorum Carolinorum nunc sex tales floreni intelligantur. Quod omne tamen intelligerem de debitis ejusdem trimestris: quod enim abrogatum non est, quis prohibet stare? Nondum possum ab Academiæ prærogativis avelli. Ad has sane retulerim, quod cum Paci Europæ Rysovici in Hollandia conclusæ, hoc anno Academico festivum applauderet universa Provincia Groning Omlandica, Studiosamque Juventutem armis decoraret, Capitaneo, Locumtenente, & Signifero, autoritate Academici Senatus lectis & comprobatis, sclopeta autem cœteraque (extra gladios, quibus ipsi Studiosi se instruunt) ad id necessaria arma pulveremque pyrium indulgentissime præbentibus Illustrissimis Præpotentibusque Dominis Ordinibus Deputatis: quod jus inquam præcedentiæ memoratorum Dominorum Ordinum voluntate Aca-

demiæ præ Militia Provinciali cœtera concessum, eademque præcedentiæ prærogativa Militia Academia ante Militiam Provincialem armatam cæteram, omni & spectante & applaudente Provincia, usa fuerit, quemadmodum Militia Urbana sive Civica idem præcedendi jus Militiæ Academicæ ultro detulit. Et quid æquius? Vel solam intuemini obsidionem Groninganam cujus dissolutæ memoriam cis hos quatuordecim dies celebravimus: hic Studiosi non minimum deberi, omnes agnoscunt. Cur non qui pericula, quæ exteri illi (tales maximam partem sunt) pro nostra patria adire satagunt, & favore aliquo recreentur? Aut existimat quis eos qui maximarum rerum studiis incumbunt, & ardua illa supremarum etiam disciplinarum mysteria percipere queunt, non esse idoneos habilesque ut armorum exercitium etiam intra perpaucos dies exacte perdiscant? Fuit profecto ea tum vox Provinciæ, cohortem nostram Academicam armorum usu & exercitio, quibus se intra parvi temporis angustias assuefecerat, cœteræ militiæ vel exercitatissimos veteranos vel superasse vel æquasse. Mihi, qui Studiosam Juventutem nunquam non deamavi, felix ille successus adeo tum cordi erat, ut pridie diei quo festivitas illa celebrabatur Illustrissimorum & Præpotententium Dominorum Ordinum Deputatorum splendidissimo honoratissimoque consortio admotus, non dubitaverim epigrammate tali etsi extemporali applaudere:

Dum positis evax! miteſcit Mars ferus armis,
Lurida Bellonæ nec saga porro placent:
Cur vestro Pallas, Proceres, armata Lyceo
Emicat, atque manu fulgida tela quatit?
En bellatricem illam aquilam sua signa moventē.

Quid

Quid fit? an ad portas Hannibal alter hiat?
An pugnare iterum gestit non victa Virago?
En tot ab indomita fulmina torta manu?
En galeæ ornatus vertex! en fulgura dextræ!
Ut Dea terrificis stat metuenda tholis!
Scilicet umbrosas rumpit Virgo alma cavernas
Dum Martis porro pessulus omnis abest.
Scilicet oppresso ducit de Marte triumphum,
Et plenis sperat tempora læta Scholis.
Scilicet optata dum Pace aboletur Enyo
Ne tepidam fuso sanguine mergat humum:
Victrices pandens Aquilas Academica Virgo
Asseclas plures sub sua signa vocat.
Hastam dextra gerit, doctum terit altera librum:
Doctura hoc, istac est tuitura suos.
Tu modo porro fove Groning-Omlandia Divam,
Subque patrociniis esse jubeto tuis.
Sic quoties, Domini, lux vos hodierna reviset,
(Sœpe hoc ut fiat, candida vota fero!)
Vos toties, patriamque simul, cultumque Lyceum,
Læta Minerva Togis visat & alma salus.

Ignoscite, A. H. quod hanc crambem vobis iterato apponam: feci & eam ob causam, ut vobis singularem emunctæ naris Viri explicationem communicarem. Credidit Vir sagaciſſimus, ultima hujus Epigrammatis parte qua Togatum memini me libello quasi supplice Togas pro Professoribus Academicis efflagitasse: qua in sententia confirmabat ipsum Epigramma alterum Cl. Collegæ Essenio nunc pie defuncto, cum ille Professioni Medicinæ Practicæ heic inauguraretur, decantatum. Dies erat 13. Februarii à Februis omnibus Diis exhibitis olim adepti nomen mensis: sed dies ipse

ipse Jovis sacris devotus, nec non Fabiorum occisorum olim cæde, & Gallorum & Camillorum Roma pulsorum clade famosissimus. Finxi Venerem pallia Professorum nostratium atrata spectantem, funus iterum, ceu olim hoc eodem die Fabiis Gallisque occisis factitatum, publicitus ductum existimasse, indeque Cl. Essenii proximo sanguini funus esse structum collegisse. Vultis ipsum Epigramma? Est hoc:

Bruma Lycaoniam remeabat anhela sub Arcton,
Fervebant Grunicis Februa dia tholis.
Alma Venus, sacris satis oblectata Deorum,
Pallia verbosis vidit ut ire viis,
Primisq; Essenium mixtum primum ordine duci,
Heu, viduum (exclamat) luget & ille thorum!
An Fabios periisse parum est, dextraque Camilli
Tot Gallos? Frustra fumigat ara Jovi!
Dixerat. Ast blandum subridens Jupiter olli:
Quid Cytherea times? Essenium illa vehit
Pompa, ait: à flammis Musarū & Apollinis ardet:
Hactenus à Paphiis non calet ille focis.
Tu tamen essenio ut brevis hæc sit gloria, dextrè
Cura, sic moneo, sic, dea bella, volo.
Palliolata cohors peragit sua Februa: Languor
Et Morbus læta contumulantur humo.

Ad hanc Viri amicissimi censuram, lubens fateor, nunquam non ex quo huic Academiæ adscriptus fui, me in votis habuisse ut Academiæ nostræ Professores Togis ornarentur. In Acamia Duisburgensi togatus eram, at ad hanc Academiam delapsus, evasi palliolatus: ita à Toga ad Pallium itur. At cur non ad cœterarum Academiarum exemplum componimur, non Germanicarum, inquam, duntaxat Academiarum, sed & Belgicarum Leidensis,

sis, Franequeranæ, Ultrajectinæ, Harderovicenæ? Cur vilius habemur? Quid? an non Gymnasiis ea in parte æquiparamur? Immo ab Amstelodamensi Gymnasio vincimur. Omnia excusari possent, sed cùm publicus promotionis more majorum actus peragitur, quid magis inconveniens esse videri potest, quàm alii dare quod ipse non habeas? Quid? an antecessores Romani more majorum palliolati erant? Non hæc loquor, Auditores, mei causa: togam quippe Duisburgo huc mecum advexi, sed pro Academiæ splendore, quem cuperem ad aliarum, maxime Belgicarum instar, magis magisque enitere. Interim dum togis caremus, simus Academici irregulares, ex aliarum Academiarum moribus legibusve nulla nobis hac aliisque in partibus movenda objectione. Sed contineamus nos intra pallium nostrum Academicum, suis etiam non destitutum ornamentis, immo supra togæ decora iisdem eminens. Quid enim? Ignoscite si fallor. An pallio ideo induimur, ut distinctam nostram Jurisdictionem Academicam à cæteris Belgicis Germanicisque & in supra viso privilegio eminentem norimus? Sane togis inferiora judicia ornari, extra controversiam est. Salve igitur honoratissimum Pallium, salve nostri magnum ordinis incrementum & dulce decus. Hujus Pallii quoad Academica negotia autoritas tueatur me in eo quod Promotiones Doctorum publicas in ipsis canicularibus feriis more majorum fieri permiserim. Etsi sunt & rationes graves aliæ, sunt enim hi actus Jurisdictionis voluntariæ quales tempori ulli se alligari non patiuntur. Quod autem Majores nostri antea in feriis ea non peregerint, causa est, quod ea nondum reperti fuerint

fuerint felicitate ut in feriis quadrigâ nobilissimorum Candidatorum habere potuerint, & si vel maxime habuissent, sunt manentque hæc tamen res meræ facultatis, quæ non usu non abolentur, præscriptionis omnis nescia. Felix Academia Groning-Omlandica quod nunc etiam in ipsis feriis examina promotionesque Doctorum, quibus in iisdem feriis Canicularibus Academiæ aliæ notorie gaudent (Leidensem, Ultrajectinam, Duisburgensem, aliasque, antestor) tu etiam defrui potueris. Profecto enim per omnes ferias à talibus etiam feriari Academiam, sterilis omnino Academiæ indicium est. Medicinæ Candidatos Doctores renuntiatos vidit hic annus Academicus duos Belgica lingua examinatos, respondentes, disputantes, promotos: eo quod Latinitatis defectum praxeos ubertate & rerum necessariarum cognitione pensarent. Illud autem vix concoquere valeo, quod ipsius Facultatis Juridicæ decreto, Senatus Academici suffragatione, promoti Doctores non semper Academiæ Legibus se subjiciant quasi cum Pileo omnem etiam contra leges libertatem effrenem consecuti sint. Intelligo sumptuosissimas & aliquot dierum commessationes: cum Academiæ latæ leges expresse non nisi unius diei convivium, idemque temperatum permittant. Cur non etiam illi qui publicè & cum cappa, ut ajunt, promoventur, convivia illa redimunt sexaginta florenis? Negat quis hoc fieri posse? At ego affirmo: Videantur Leges 24. Novembr. 1674. promulgatæ: Si legibus vivimus, cur his obsecundare mihi non liceat? Vultis legum tenorem? Percipite: est sequens, fideliter exscriptus: *Convivio honesto ac temporato Professores omnes & si quos è studiosorum nume-*

ro Professoribus adjungere volet, modo numerus eorum Professorum numerum non superet, excipito: postridie vero denuo Professores invitare, quemadmodum & studiosos, nisi sanguine aut affinitate ipsi junctos vetitum esto. Et infra pagina 30. seqnentia verba comparent. *Publice qui cupit cœptari in ordinem, is facultati XLV. florenos, cœteris Professoribus pro admissione XXV. florenos, & Rectori Magnifico Secretario atque Pedello ea quæ memorata pendito sed à summa LX. florenorum immunis esto. Nil quoque in usum bibliotheca uti hactenus dedit ex lege, iia nec in posterum nisi velit solvat. Licebit tamen ei epulas aditiales memorata summa LX. florenorum redimere. Musica autem eorum libero relinquitur arbitrio.* Habetis legem. Accedat ratio: in eo scil. sita quod leges quatenus promotionum modos concernunt non ab Illustrissimis Ordinibus sed à Senatu Academico Amplissimo sint latæ, & cur non ab eodem possint mutari? Quin cur non in totum vel ex parte abrogari? Ita sane evenit in multis: vultis exemplum? in promotionibus publicis etiã Juridicis, debet juxta leges, Theologiæ Professor conscensa summa cathedra preces ad Deum concipere verbisque toti cosessui præire: ast id deinde ab Amplissimo Academiæ Senatu rejectum est. Togam & Librum promotionibus Philosophiæ Doctorum solennibus detraxerant leges priores: at quotquot anno hujus sæculi sexagesimo promotion Doctoris Krieckii interfuerunt, iis incognitum esse nequit eundem cum tota & libri adhibitione promotum fuisse, idque ex SCto Academico ita factum esse, legum codex demonstrat. Et quidni ergo Senatus ejusdem auctorie

ctoritate consimilia immutari queant ? Hic nunc elapsus annus Academicus novo documento id firmat, quo Candidatus Medicinæ pro gradu publice disputavit promotione per aliquot menses in hanc usque horam dilata porroque differenda. Neque dubito, quin talis etiam absens in numerum Doctorum, etiam publice, ad aliarum Academiarum exemplum, cooptari possit. Ipse ego lapso noviſſimo Saturni die cùm promotionem publicam, quam cùm cappa vocant, peragerem, non librum typis exscriptum Novo Doctori exhibui, sed Orationem quæ tum unice ad manus erat manu conscriptam eidem quasi scriptum sponsæ suæ, Themidos filiæ, (ipsa etenim Themis totiens aliis elocata jam olim terras reliquit, aut, si reversa est, sordet vetula (bonorum dotalium inventarium, laudante postea & comprobante Ampliſſimo omni Senatu Academico, clausam apertamque, instar & vice libri impressi, præstiti. Requirunt sane leges librum, sed non exigunt typis vulgatum: & quid si talem exigerent ? Pallii supra memorata Academici autoritas & hoc immutare aut differre potest. Sane cum totam meam Orationem, tum temporis ad Sponsalia, Nuptias, Copulationemq; quam vocamus Sacerdotalem direxiſſem, quid conveniebat talibus magis quàm liber manu scriptus ? aut putamus, Neo-conjuges ex Aristotelis Oeconomico Syntagmate jam olim typis vulgato rei Oeconomicæ curam ediscere aut ad Aristotelis similisve autoris cerebrum Oeconomiam suam instituere velle ? Sunt & alia in quibus Rectoratus mei nunc elapsus annus præ cæteris notabilis extitit. Veluti, quod subselliis Professorum in principi-

cipibus almæ Groningæ templis ornatus instrati sunt. Sed & reticere heic non debeo anni hujus in eo præ cæteris, quantum scio, felicitatem quod omnes ad unum Professores, nullo inquam excipiendo, disputationes instituerint publicas solennesque. Aperueram hunc disputatorium campum ipse ego Kalendis Octobris anni noviſſimè elapsi: eundemque ultimus Kalendis Julii nuper clausi, neque tamen defui Clariſſimorum Collegarum meorum exercitiis disputatoriis medium me dare. Et ea in parte hic annus faustus dici potest, quod Cl. Bockelmanni fœtum de Jure Publico postumum heic Groningæ in lucem emiserit publicam. Velut hic tractatus diu fuit desideratiſſimus, ita feci eidem Orationem memoriæ Bockelmannianæ abs me sub Professionis meæ in hac Academia auspiciis habitam adjungi, idque tanto lubentius, quod dicta Oratio methodum, quam Jurisprudentiæ Studiosis sub meo ductu studia sua & inchoare & absolvere gestientibus præscribere soleo, exhibeat. Scio fuisse, qui me Aphorismos meos primulis Justinianis sine delectu commendare deblaterarunt, sed quæ longe diversa studendi à me ratio instituatur, quæso Vos, dicta Oratio Vos, quotquot æqui judices estis, commoneat. Etiam ea in parte nobilis hic annus est, quod Elenchum Lectionum & laborum aliorum Academicorum alia forma, sed & auguſtiore, exhibuerit, quam quidem alii præcedentes Duo in nova hac Elenchi forma singularia sunt, & quod Dominos Professores eo ordine colloçet quo se sequuntur & præcedunt: & quod Lectorem moneat quibus scholis domesticis sive Collegiis privatis Ju-

ventus Academica heic loci frui & exerceri possit. Sane solarum prælectionum publicarum, quales in Academiis hodie sunt, indicem struere, quid est nisi pompam ostentare? Enimvero, detrahite quæso ferias non tantum Caniculares, Natalitias, Resurrectionis, Pentecostes: sed & quas inclementia aeris hyberni, auctiones, disputationes, examina, recensiones, dies festi, negotia sæpe urgentissima, aliaque præstant, & dicite quæso, quis tam obesæ mentis esset qui filium suum ob solas prælectiones publicas ad Academiam aliquam mittere cogitaret? Collegia sunt, adolescentiam juventamque nostram quæ erudiunt: prælectiones mire juvant, scio, idque vel propterea quod Professores ab auditorio extraneo & non expectato nunquam liberos se existimare valentes majori sedulitate iisdem incumbunt: sed prælectionum ista indoles nescit absolvere cursum universi studii ad quod absolvendum Studiosi in Academiis hærere necesse habent. Quæso fingamus Professorem in prælectionibus assiduissimum: sit ille Jurisconsultus, absolvat uno anno publicis Lectionibus universas Institutiones Juris, si absolvat idem altero anno Academico universas publice prælegendo Pandectas: nunc quæso vos quid priore anno apud talem facient provectiores qui jam annis duobus tribusve Institutiones audiverunt, qui Feuda, qui Jus Canonicum, qui Jus Publicum, qui Jus Naturæ & Gentium discere desiderant? Et finge hæc altero anno una cum Pandectis publice absolvi posse, sed jam dic mihi quid apud talem diligentissimum Professorem integro anno discent novi Justinianei qui primulis Juris fundamentis sunt indu-

inducendi? Ut profecto lectiones publicas, uti nunc sunt, maxime ubi parvus Professorum numerus est, sine collegio ullo privato, ne titivillitio emtitē Ut optima sane ratione Lectionibus collegia adjungi, deque his Lector omnino commonefaciendus sit de his, inquam, magis, quam de lectionibus. De meà interim publica industria heic promitto, ducentas, & undecim Regulas Juris Civilis me ante proximos dies caniculares publice absoluturum. Etiam in eo augmentum hæc Academia sensit quod Actuariū sibi primum Facultas Juridica constituit. Neq; inter Academiæ, speciatim anni hujus nunc elapsi Academici, beatitates reticere debeo, egregiæ Studiosæ juventutis nostræ decus. Non loquor de eorum numero, quem videtis magnum esse & proxime elapsos annos immane quantū vincere: Sed quod Dominorum Studiosorum singularem in hac Academia modestiam agnoscere & deprædicare debeā. Ignoratur apud hos barbarus mos alibi vigens, dum compita horrendis clamoribus implentur, miseri & innoxii lapides gladiis everberantur civibus eorumque domibus aut fenestris damna ingeruntur, duella cientur, publica atque privata quies conturbatur. Horum omnium apud nos nihil quicquam percipitur; saltim sub Rectoratu meo omnia hæc inaudita. Ago Vobis gratias, Cari Studentes, quod sepositā omni petulantia, nullam aliis, nullam mihi, nullam Senatui Academico molestiam feceritis. Cari Studentes! pergite eo pede & me omnesque bonos & rē publicā ita in amorē vestri porro pertrahite, devincite. Mulctas à vobis non expectamus: sed diligentiā & modestiā: ut vos harum maneant præmia, ut vos ex iis sementicis uberrimam faciatis messem. Sed

omnia hæc quasi obnubilat luctuosissimus non unus casus, qui & Professorem carissimum, & tres Studiosos funere mersit acerbo. Sed nolo his immorari ne lætitiæ festivi hujus diei alicujus mœroris memoria quid deteram. Salve læta dies, salve lux aurea, salve læta dies quæ me fascibus qui me hactenus constringebant, exsolvis! Læta dies! quæ me... Sed quid de me loquor? Læta dies, inquam, quæ Academiæ nostræ pristinum suum redonat Rectorem Magnificum: Virum uti per omne Medicinæ genus exercitatissimum expertissimumque, ita Academiæ sanandis morbis, si aliqui emerserint, aptissimum, jamque in Academiæ periculis spectatissimũ inibique bene meritissimum Dominum Gerhardum Lammers Medicinæ Doctorem inclutum, ejusdem cum Physica Professorem Celeberrimum, Practicum felicissimũ, Academiæ à bibliotheca fidelissimum. Lammersium! O vox amica, ô vox jucunda! O nomen inclutum, ô nomen auribus vestris perfamiliare & gratissimum. Et tu quid gaudia nostra moraris, inclute Lammersi? Immo quid ego ipse gaudiis obsto communibus dum cathedram non relinquo, quam novi ab ampliſſimo Senatu meritissimo Celeberrimoque Lammersio, nuperis comitiis Academicis destinatam esse? Sed non licet mihi hanc deserere stationem nisi veniam à tua Magnificentia, Celeberrime Lammersi, impetraverim, tuaque Magnificentia his quibus me stipatum vides sceptro, libris, clavibusque liberaveris. Adesdum quæso, Vir Nobilissime, & Magnificentiæ tuæ possessionem in hac cathedra publice apprehende. Salve Academiæ Princeps, Magnifice D. Rector. Salve, ex animo salve.

ve. Figulus figulo invidet, & ut dicitur, Medicus Medico, vicinus vicino, olitor olitori: ego vero publica omnium voce honorem hunc tibi, quin & Academiæ huic noſtræ de tali Rectore Magnifico, de Tua inquã Magnificentia, ex animo toto congratulor. Academiæ Parienſis Rector neſcio quis in Oratione ad Henricum IV. Galliarum regem cum plurimam loquendi ſartaginem ſiviſſet ſibi in buccam & linguam venire: Rex longioris ſermonis pertæſus, Rectorem oratoremque illum fertur interrogaſſe, quam Facultatem profiteretur? illo reſpondente, Medicinam: mox converſus ad circumfuſam nobilitatem, Rex: Academia mea, inquit, valde ægrotat, eſt enim inter manus medicorum. Sed eſto hæc Academiæ noſtræ Groningan-Omlandæ præGalliæ iſta felicitas quod Medico in præſens non egeat, Non loquor de Medico corporis morbis adhibendo, etſi & in eo Dei bonitatẽ gratiſſimo pectore agnoſcere teneamur, quod nemo Procerum Civiumque Academicorum quod ſciam ulla corporis imbecillitate affectus ſit: ſed morbos intelligo Academicos, quales alibi & inter Collegas non raro animi deliquio, amici animi, inquam, affectus, & inter Studioſos deprehendas. Sane cum ex communi proverbio, Medice vivere ſit peſſime vivere: voveo Tibi, Magnifice Rector, ut hoc anno tuo Magnifico Medicamentis tuis Academia poſſit carere. Scio etiam, huc non tantum omnia tua vota collimare, ſed & omnibus præſervativis (quæ audiunt) te curaturum ut Academia in vigore iſto quo nunc efflorescit & conſervetur & adaugeatur. Medicos à Romanis olim per ſexcentos annos in exilium actos fuiſſe, novimus percrebuiſſe: Fabulã hanc

voces fictam, Vir Magnifice: nil intercedo: velim tamen eandem in Academia noſtra veritatis eventu gaudere: ſed tali ſenſu, quo rem omnem etiam apud Romanos liceat amplecti, quod rectiſſima omnium valetudo Medicinæ opem ignoret. Quod ſi tamen quid diritatis in Academiam iterū noſtrā, omnibus hilarioribus ſpebus noſtris decollantibus, incubuerit, Tu Experientiſſime Medice, omnibus Magnificentiæ Tuæ remediis eidem efficaciſſime ſuccurres. Et nunc quidē vice calami quo alias Recepta, quæ vocantur, ægris aſſuetus es præſcribere, hoc Sceptrū cape. Fallor? An audio circumfuſæ coronæ feſtivas acclamationes: Vivat, Vivat, Magnificus Lammerſius, Vivat Academiæ moderator ſceptriger! Immo vive, vive Rector Magnifice. Sceptrum hoc non poteſtatis tantum ſed & dignitatis inſigne eſt. Ad dignitatem ſane Rectoris pertinet, non tantum quod Academici corporis caput eſt, ſed & quod in Academicis negotiis Principis perſonam repræſentet, atque ex eo capite omnibus in Academicis negotiis præferatur. De Ludovico ſane Galliarum Rege refertur eum infra Jaſonis JCti ſubſellia ſediſſe, & cum ad Collegium ventum eſſet, ſiniſtrum illi adequitaſſe, additis his verbis: *Nunc Jaſon incipit Regnum tuum.* Carolum quoq; Quintum in Academia Lovanienſi, Jodoco Ravenſtenio Tiletano S. Theologiæ Licentiato latus texiſſe, compertum habemus. Gerardus etiam Queſbeckanus Leodienſis Epiſcopus & Andreas Gailius JC. cum de Pace Belgica ex Rudolffi II. Imperatoris voluntate acturi Gandavum Lovanio tenderent, Academiæ Rectorem inter ſe medium habuiſſe, litteris proditum eſt. Nec turbet te,

Vir

Vir Magnifice, sceptrum nostrum Academicum non esse integrum ex auro argentove conflatum. Illustrissimi Ordines malunt argentum in salariis Professoribus numerari, quam in sceptro, ut alibi fit, præferri. Qui sceptra ex auro argentoque solo constitisse, olim apud Romanos Græcosve existimaverit, is quid sceptra sint, utique ignorat. Ut Justini librum Historiarum 43. nunc non excutiam, quæso, jam à puero notum mihi fuit illud Virgilii: *Ut sceptrum hoc (dextra Sceptrum nam forte gerebat) Nunquam fronde levi fundet virgulta neque umbram, cum semel in sylvis imâ de stirpe recisum Matre caret posuitque comas & brachia ferro, olim arbos, nunc artificis manus ære decoro Inclusit, Patribusque dedit gestare Latinis.* Sane, quid veterum hastæ, quid scipiones aliud quam sceptra fuerunt? Quid? an Romuli hasta minorem Potestatem innuebat, quam qua hodie Scholæ nonnullæ gaudent? Sed nec sceptrum nostrũ omni argenteo ornatu destituitur. Quin vide illud argento undique ferme inclusum. Vides ex argento & Pallada, instructam hasta, munitam Gorgone, sceptro superimpositam, velut olim hastis scipionibusque Romanis aquilæ! Sane hæc potestatem tuam cum dignitate conjunctam arguunt, ut Gorgone contumaces terreas, hasta coerceas, utraque intra officii sui tramites quemcunque Academiæ civem redigas. Sed quid sceptrò addita argentea ista tintinnabula? Sonant, audiuntur. Sit ita Magnifice D. Rector, sub tuo regimine magis magisque inclarescat, & audiatur fama illustrissimæ nostræ Academiæ: Tu nunc prospice ut magis magisq; Academiæ

decus per omnem orbis terrarum, qua patet, angulum sentiatur. Sed per te hoc scis, Vir Experientissime. Et video monelis hisce molestus tibi sum. Expediam cœtera breviori apparatu, aut, si vis, nullo. Cape sis ergo & hunc Legum Academicarum Codicem, hoc Academiæ Album, & hos ejusdem Annales. Receptis scribendis, Præclarissime Medice, assuetus es: quæso te Academiæ curationem quam feceris omnem in ista repertoria consignari facias. Sigillum Academiæ majus & minus dexteræ fideique tuæ committo: Consilia & Responsa Medica qui crebro sigillis tuis munire sueviſti, quæso consilia tua Academiæ ne subtrahe. Tandem has Claves addo, ad Curiam Academiæ, ad archivum, ad bibliothecam, ad auditoria, ad scrinia, immo & ad carcerem, spectantes: sint hæc Tibi symbola atque signa depromendorum ex diversis apothecis pro Academiæ incolumitate medicamentis. Sed quid imperii tui pleniſſimæ possessioni diutius moras injicio? quid in hac cathedra molestus Tibi sum? quæso jube ut abeam: vel in silentio tuo sceptrum atque imperia tua venerabor. En obsequor. Deus Te sospitet!

Ave: Fave.

DIXI.

EPI-

EPIGRAMMA
IN
QUARTAM MONARCHIAM
ORATIONE PUBLICA.
CLARISSIMO VIRO DOMINO
ALEXANDRO ARNOLDO PAGENSTECHERO.
JC. & Antecessore præclarissimo exhibitam.

NOn fuit in fatis Frisium illustrare Lyceum
Ut posses fama & dexteritate Tuis.
Hoc tamen in fatis est, ô amplissime Juris,
Qua patet, interpres, Tu ut Frisios doceas:
Me quoque: quod lætor, Sic te sic Frisia, & omne
Belgium, & Hesperia, & Teutonis ora colit.
Quin tibi, dum quartos ostendis in orbe Monarchas
Romanos, Cæsar Papaque jure fave.

P. E. AB HARINXMA
Nobilis Frisius.

Illu-

Illustres atque Amplissimi DD. Curatores. Cæterique Reip. Proceres, Patriæ Patres, Academicæ Patroni.

Quatuor Facultatum Celeberrimi Professores, Collegæ omnes & singuli conjunctissimi. &c. &c.

PRinceps historiæ Latinæ Livius Marco Livio, Claudioque Neroni Consulibus triumphum aliquando decretum fuisse, interque memoratos collegas tum conveniisse, ut Livium quidem quadrigis urbem ineuntem milites sequerentur, Nero autem solo equo & quidem absque militibus inveheretur: ast ita consociatum triumphum etsi utrique consuli magis tamen Neroni, qui honore Livio Collegæ cesserat, gloriam & venerationem adduxisse commemorat. Nescio, A. H. an non hoc nostri sæculi oratoribus usu venire quandoque soleat. Enimvero etsi plerique arduas plerumque materias orationibus suis seligere iisdemque summam adipisci gloriam soleant: confieri nihilominus sæpiuscule assolet, ut alii levioribus uti videntur rebus aliquando intenti, plausum, amorem, venerationemque sui non minorem apud Auditores, & quidem ut plurimum ex merito, sibi concilient.

Non

Non revocabo vobis in memoriam exempla eorum, qui de febri quartana, de bulbis, de urtica, de raphano, de ulula, de scabie, pediculo, asino ejusque umbra, similibusve, olim dixerunt: Celeberrimum saltim virum Gerhardum Feltmannnm, JCtum cui, ut Autor Octoviratus ait, Themis nostra debet debebitque, retro mecum intuemini, quem in Promotione aliquando Doctorali, de Acicula, maxima cum nominis sui veneratione & ingenii eloquiique admiratione, verba ex hac eadem Cathedra feciſſe, pulchre commemini. Quis in rep. litteraria adeo hospes est, ut nesciat omni encomio Dignum tractatum de pulicibus sive Spiritibus familiaribus fœminarum, autore viro consultissimo JCto Marpurgense, autore decere volebam Opitio Jocoserio. Quid? ipsam Salomonis regiam glorioſissimæ memoriæ majestatem, de hysopo ex pariete prodeunte, multis olim perorâsse, quem nostrum lateat? Non est, A.H. quod existimetis, velle me ad eorundem decus adsurgere, aut istis parem videri: abſit, non sum iste Suffenus: Sed volui me istorum heroum exemplis duntaxat præmunire adversus eos quibus materiæ quam mihi hodie sumpsi exiguitas indigna videri posset nitore hujus auditorii sane mihi oppido quam honoratissimi. Sed & animus aliquando à severioribus cogitationibus, maxime ubi publicæ feriæ velut in præsens, indulgentur, relaxandus est Ludovicus Borbonius Cardinalis nihil omnino in symbolo suo pingebat, tabula tantum urens rasa, cum lemmate: *Melior fortuna notabit.* Cum noviſſime ad vos super luctuosa Al. collegæ quondam mei morte verba facerem c

rem: sæpe hoc lemma mihi inter lacrymas & supplia stanti occurrebat. Et ecce nunc voti damnas factus sum. Nunc læti rediere dies, nunc publica fastu felici turgent, nunc redit alma Themis. Nunc celebrat solitos augusta in luce triumphos, nunc ausa est titulis luxuriare novis: Nunc pede festivo tellus pulsanda est, nunc lepido convenit ore loqui. Ludite, plaudite, scribite carmina, fingite versus. Organa, fistula, cymbala, buccina, tibia, plectra fundite mellifluos cum levitate sonos. Videtis me lætitia hujus diei & evehi & abduci longius. Nolite tamen ex superioribus colligere, quasi de ludicra aut nauci re ad vos dicturus sim; immo dicam de re magni sæpe ponderis atque momenti, de re quæ attentionem vestram uti meretur, ita proliciet ut captatione (quæ audit & Oratoribus alias usitatur) benevolentiæ mihi opus plane non sit. Dicam de re omnino tali quæ multorum hominum rem familiarem sustinet: de re, quæ ad temporalem beatitudinem nos argumento sui perducere, & ad æternam salutem tendentibus utilissima esse potest; Res elegans, inquis, res ardua, res magna. Immo dico ego, maxima & ex qua salus reip. aliquando dependere possit. Sed quid ergo hoc rei est? & quid suspensos Vos teneo rei pulcherrimæ atque nobilissimæ cogitatione? Ne in publica commoda peccem, dicam uno verbo; Rapum est. De hoc etsi & Dioclem commentatum esse norim, promitto tamen, & quasi juratus spondeo: me ejus scrinia, utpote quibus profecto careo, non compilaturum, sed nec ullius alterius. Si quis est, qui de rapis differere nimis leve existimaverit,

verit, is audicat poetam: *Non semper ea sunt quæ videntur, decipit frons prima multos, rara mens intelligit, quod interiore condidit cura angulo.* Quid putatis? indecorum mihi sit de rapis ad vos verba facere? At Illustrissimæ tamé civitatis Amstelædamensis Consules non erubuerunt, à rapis sibi monetam parare, Nescitis? At ante saltis Amstelædamum: invisite novissimum illud orbis terrarum miraculum civitatis præpotentis miraculum: introite Dominorum Consulum cameram: videte, videte Marcum Curium, ecce aurum eidem offertur, at hic spernit. Videte: rapas præfert. Legite subjectum nitidissimum istud Jodoci Vondelii epigramma ad virtutem exemplo à rapis petito urbis proceres excitans, & commonefaciens: Quæso Auditores, componite vos ad exemplum Regis, Galliarum inquam Ludovici, sed nolite aut timere, aut irasci, jam demortui. Undecimum intelligo, qui Cononi pro unica rapa mille coronatos jussit numerari, quin & equi præstantissimi pretium esse voluit. Fabulam sed veram integram narrarem, nisi à puero unicuique vestrum vel ex Erasmi colloquiis eandem innotuisse suspicarer. Profecto si ad Amstelædamensium exemplum à rapis calcar ad virtutis semitam capere licet? quanto pretio non æstimabimus rapas? Virtus enim omnibus rebus anteit profecto: omnia adsunt bona, quem penes est virtus. Et ego nunc quidem rem pretiosissimam à vobis deposco rapis cum maxime impendendam, tempus scilicet: aut ejus brevem particulam: Audite cum brevi patientia, longa benevolentia: adeste! favete! Raporum definitionem si abs me expectatis, frustra estis. Etsi enim M. T. Cice-

Ciceronis Edicto cautum est: Omnem quæstionem à definitione proficisci debere, eidemque JCti passim nostri religiosè obtemperent; mihi tamen in re clara definitione opus non esse, satius visum est. Entia enim non esse multiplicanda præter necessitatem, ajunt Philosophi: quin nec præter utilitatem, dicetis Auditores Politici. Illa certe utilitate carere non videtur observatio, quæ de etymologia rapi instituitur disputatio. Rapi enim vocabulum non nulli à græco ῥάπυς, vel ῥάφυς quod ipsum quasi ῥᾳδίως φαίνεσθαι id est *celeriter apparere* dicatur. Alii à Latino *rapere*, arcessunt: ac tametsi Logica derivatione utrumque admitti possit, nam & rapa seminata confestim ex terra pronascuntur, atque apparent, & proprie ex telluris gremio rapiuntur, atque evelluntur, omnesque mortales in amorem admirationemque sui rapiunt. Grammaticè tamen si rem omnem ponderes, nec à græco illo ῥάπυς descendit, utpote cum tum non per nudum R. sed per RH, ut cœlera græca à ῥ incipientia, scribi deberet: nec pro certa affirmari potest, à latino *rapere* ortum suum trahere, utpote cum prima syllaba in *rapum* longa, in *rapere* vero brevis sit. Patriam ergo rapum nostrum dubiam habet, utpote de qua Græciam inquam inter & Latium, anceps disceptatio viget, scilicet id commune rapæ nostræ habent cum Magno Homero, de quo notus est locus Ciceronis, ex Oratione pro Archia Poeta, & versiculi illi græci:

ἕπτα ἐριδμαίγδι πόγιις πεχ ροδίαν ὁμηρ :
Κύμη Ἐρ ίγνα, χίος Κολοφών, πύλος, Ἄργος, Ἀθῆναι.

Sanctus

Sanctus ille, Antonius de Padua idem cum rapis & Homero fatum experitur, utpote qui à terno Franciscanorum Ordine Capuzinorum, strictioris observantiæ, & Minoritarum Vindicatur. Quid! cum civitate Grammatica rapum donatum esset, novâ lis fœmininum inter & neutrum exarsit, dum urumque rapa, rapasque, avidissime sui gregis & generis scribere annisum est, adeo, ut in hodiernum usque diem utrumque ex Utili interdicto uti possidetis aut si, ob nimiam vocabuli mobilitatem mavultis, ut rubi, in possessione se valide tueatur. Dum hæc scribo, non possum non ad priorem cardinalem illam quæstionem, Græcisne an Latinis *rapi* vocabulum debeatur? reverti, & in possessorio pro Latio decidere, per rationem decidendi, quod mutatio non præsumatur, ad rationem dubitandi autem supra repræsentatam, quod prima syllaba in *rapere* brevis sit, respondeo, primam in *rapum* vi originis suæ brevem esse, subsequentibusque adeo temporibus ancipitem aut dubiosam factam esse, quod tum iterum rapa nostra commune habent cum vitis summis, non quidem cum Homero, de quo modo dixi, sed cum summo Romano, de quo ita vir Clarissimus, nobisque dum vita manebat amicissimus D. Hermannus Crusius in epigrammatibus suis:

Quanta sit in Rapa præcedens syllaba quærunt
Sunt quibus hæc longa est, sunt quibus hæc brevis est.

Sor

Sors homini ergo eadem cum nomine, scilicet illum
Producit Latius, corripit Hæreticus.

Vel ex hisce jam satis de *raporum* dignitate constare potest, quæ ipsa tamen clarius eluceseet, ubi tum quomodo Diis hominibusque summo in pretio habitæ fuerint, tum quas vitæ civili dextere instituendæ monelas adferant, paucis Ostendero. Enimvero certum est, martiale teste omni exceptione sc. majore, Jovem solere id est quotidianam ita augustam regalemque consueviſſe mensam suam instruere ut inter cœlicas ipsi delicias præ cœteris rapa arrideant. Audiamus ipsum pribilicum valem:

Hæc tibi brumali gaudentia frigore rapa
Quæ damus in cœlis Jupiter esse solet.

Sed ut fabulis parcamus, historia Thuano teste docet, Supremum aliquando labente superiori sæculo Numen rapulâ laboranti fame Silesiæ rapula cœlitus ceu cœleste aliquod manna paterna clementia subministrasse. Inter laudatissimos Romanos, uti notum exemplum est Marci Curii Deutati, qui magnificis oblatis donis rapa sua, quæ scamno in ipso loco publice insidens assabat, prætulit ut jam supra innui. Ita nescio, an non exemplum Lucii Quintii Cincinnati qui ab agricultura ad Dictaturam evocatus, eo tempore quo quercus opacas umbras sedesque præbent, nescio quid tali tempore bipalio innixus aut arans facere valde potuerit, quam agrum

agrum ſerendis rapis parare. Cœterum uti hæc conjectio noſtra tantum eſt, non fidei aliquis articulus, ita contra certum eſt, Rudolphum primum, temperatorem quondam Rom. Germ. omni aliquando ſpectante exercite rapa ex agro evulſiſſe, avideque comediſſe, eoque ipſo militibus laudabili exemplo demonſtraſſe, quam verum ſit, quod alicubi Seneca: parvo & parabili bono vitam naturamque humanam contentam eſſe commodiora ut Rudolpho rapa fuerint quam Veſpaſiano olim, in quem Admeti rapa jacta fuiſſe Suetonius autor eſt. Et hic tamen pretio raparum elucente: Enimvero cum Romani injuriam illaturi fimo aliàs corrupto, cœno aut luto alios conſpurcare ſolerent: Imperatoria Veſpaſiani Majeſtes honorabilior viſa rapis, utiliſſima illa reip. ſupellectile onerari debuit. Illud itidem alicubi ſingulare in Germania eſt, pretium ſeminis raparum adſcendere ad æſtimationem vini (quod nemo Veſtrum A. H. opinor parvi facit) Rhenani, & aliquando quidem optimi: quo enim pretio cantharus (ut loquimur) vini Rhenani, eodem fere & cantharus ſeminis raparum divenditur. Præterea ad pretium raparum valde facit, quod non tantum vaccis porcisque, quibus res familiaris carere nequit, pabulum etiam rapaciis ſuis ſufficiant, ſed & quod ipſæ ad hominum etiam delicatiſſimorum cibum apprime faciant, quin & ſanitati non parum conducant. Et de iſto quidem res nimis plana eſt, quam ut hic commemorari abs me debeat prolixius: etſi enim inter Thuringorum virtutes & parſimoniæ illa ſpecies vulgo jactari ſoleat, quod de ſolo halecis capite ponant ſibi fercula

cula quinque: ego tamen certus sum iis in locis quæ raparum gloria vigent, ex rapis non quinque sed vel quinquaginta diversi generis fercula parari. Non licuit mihi æquidem ea hactenus conditione vivere, ut de singulis expertus loqui possim, constans tamen & quasi communis Doctorum ut ita loquar in arte culinaria sententia est, non tantum rapas in frusta sciſſas & puro lacte delicatè coctas, cum farcimine sui illo commode apponi posse, quo fere solo nomine mihi hactenus placent, sed veluti alterum Protea quendam in varias figuras abire, & nunc quidem integras, nunc in partes divulsas, modo orbiculata figura, modo oblonga, modo butyro duntaxat incoctas modo aliis cibis veluti asallis terrefactis, vel salitis adjunctas, nunc iterum in pubem nunc in tortam, nunc in farcimen redactas, nunc alio iterū modo frixàas, coctas, exsiccatas esurienti, aut luxurianti mortalium gulæ, ventrique exhiberi. quid mirum? cum non per mensem unum alterumve, homines iisdem vesci aveant sed per totam hiemem iisdem uti fruique possint, quin & eò curiositatis artisque hodie devenerint, ut liquefacto sole conditas rapas auctumno exennte natas, in cibi commoditatem & deliciam per omnem æstatē observare norint. Mavultis Auditores hæc à Plinio audire? At ita ille libro 18. in cibis, inquit, quidem nostris pluribus modis rapæ commendantur, durantque ad alia, sinapis acrimonia domita, etiam coloribus picta, præter suum, sex aliis, purpureo quoque: neque aliud (attendite) in cibis pingi decet. Hæc Plinius Dicto loco: ubi & alites quadrupedesque inde commodum suum cape-

capere demonstrat, & generaliter censet, alii præstantiorem usum ab his rapis non esse. Unde & muria rapas condire, apud Dioscoridem legere est: neque columella condituræ raparum dememinit. Scilicet *quis expedivit psittaco suum χαῖρε? Picasque docuit verba nostra conari? Magister artis, ingenuique largitor venter.* Discite hinc, discite mortales, quotquot vitæ beatà instituendæ politicè intenti estis. Si quisque fortunæ suæ faber est, agite sulcis, à rapis vos erudiri patiamini. Hæ ut publico commodent, in nullas non metamorphoses abeunt, nulla non in parte placere gestiunt. Scitis quo tendam? Petronius pro me loquetur: Piscator nisi eam imposuerit hamis escam, quam scierit appetituros esse pisculos, sine spe prædæ moratur in scopulo: Vos qui deamandis, aut comiter colendis bellulis virgunculis operam vestram destinatis, ex doctore vestro Ovidio idem nostis: Si vox est canta; si mollia brachia salta, & quacunque potes, arte placere, place. Sed & altera Politicorum ad vitam beatitate politica transigendam, ex dictis lucem capit monela: quam prudentissimus Terentius à tesseris depromere maluit, sed cum alea non jure tantum civili prohibita, sed & aliis hodieque odiosa sit, præstabit omnino ut, absque ullius offensa à rapis discamus, quod scire oportet: Sed vultis tamen Terentium audire? Audite: ita vita est hominum, ait ille, quasi cum ludas tesseris, si illud quo maxime opus est, jactu non ceciderit, forte quod cecidit id arte ut corrigas. O amabiles rapas, quæ argumento vestro vitæ humanæ tantopere commodæ estis. Sed & Academici quotquot estis Professores. O mei amici, à *rapis*

exemptum capiamus concordiæ. Audiviſtis, & aliàs noſtis, rapas non omnibus ad eundem modum ſapere, ſed pro palati diverſitate variè in fercula poni, nec tamen, de quo ex annalium fide conſtat, unquam propter hanc diſſenſionem unquam quid tumultus aut rixarum inter diſſentientes exortum fuiſſe. Et eruditos tamen non pudeat, ſuper controverſiola aliqua ſæpe rapa, quid rapa? imo titivillitio ſæpe leviore eos fluctus in ſimbulo excitare, ea ſed nullos habitura triumphos bella ciere, ut ſi de reip. ſalute ageretur, aut Hannibal aliquis ante portas fulminat, majoribus animis certari non poſſet. O Azo, Azo, à rapis ſi tu exemplum petiiſſes, nunquam in inſubiduiſtum fervorem prolapſus fuiſſes, quo tu præſidis aliquando in diſputatione Academica officio fungens in opponentem tuum cum hujus internetione graſſatus es. Vah! Juris conſulte, quid ad legem ad beſtias provocas? ſi à rapis didiciſſes, Judices tui quibus raparum ingenium melius procul dubio innotuerat, quam legis, ad beſtias ſententia, pro beſtiis ſe à te habitos non exiſtimaſſent, tuque capitis deminutionem naturalem paſſus non fuiſſes. O rapæ rapæ! à vobis præſtat exemplum capere, quomodo diverſum ſentire duobus incolumi licent ſemper amicitia. Ego ſane uti mea quæcunque ſunt propugnare paratus ſum, qua poſſum, ita & refelli non renuo, mihique gratulor, quod cum iis Viris Doctis hactenus verſatus ſim, qui & audiunt mea, & legunt, & amplectuntur, & redarguunt, idque ſine ulla offenſa, aut famæ læſione. Ut alia mittam, inſpicite ſaltem cauſas matrimoniales, quæ Theologis cum JCtis maximam partem com-

communes sunt. Ego ab eo tempore quod cathedræ juridicæ hic alibique insti, semper existimavi matrimonia juri Divino prohibita, perpetuo obligare etiam Christianos hodieque: legibus istis forensibus vim moralem à supremo legislatore impertitam esse existimans: insimulque credens matrimonia contra juris Divini prohibitionem inita, & nulla esse, & rescindenda, ut sine liberis sint, quem sensum arbitratus sum esse Levit: 20. vers. 20. Sed alia matrimonia à Deo prohibita non esse judicans, nisi quæ aut expressis verbis, aut ratione legali prohibita esse apparent. Varia in hisce jam dedi juris Responsa: varia objecta mihi percepi, sed refellere, & refelli promtissimus sine iracundiæ sine amicitiæ læsione, non quasi in alicujus gratiam à sententia mea discedere unquam velim, nisi argumentis & veritatis viribus convictus, sed quod lubens patiar unumquemque abundare suo sensu, qui æquum censeo, ingenuos ægre ferre non posse, quod ingenio à Deo mihi dato pro ejus modulo vicissim indulgeam. Sed ad alia. Ast est & alibi O omni encomio dignissimas rapas, quæ sacrâ famem ab integris aliquando familiis, pagis, vicisque, quin & urbibus quandoque avertant! O venerabilas rapas! quæ integris aliquando Rebusp. subvenire possunt, quod sane Rodolfus de quo jam supra dixi primus expertus est, cujus exercitus si rapis eo tempore destitutus fuisset, in certissimam Repelladicm, fame periisset. Quantum porro ad sanitatem conservandam aut restituendam rapæ conferant, Medici testabuntur, inter quos nunc solum vobis adducam Jacobum

Theodori, quem Medicinæ practici vulgo à patriæ Tabernæ montanum appellitant, credo ne vel hâc in parte ICtis, qui pari accuratione se: Petrum Gregorii Tholosanum, Petrumque Foiderum Mindanum, utrumque à patria se cognominant, cedere necesse haberent. Præfatus autem Tabernæ Montanus non tantum contra venenum, tussim, variolas: quisquilias sordesque faciei, totiusque corporis, difficultatem pariendi, similesque angustias mortalium, præsentissimum, ad suum tamen modum, de quo ibi, rapis remedium inesse, sed & tardos in venerem maritos iisdem quod alias de eruca Martialis affirmat, excitari, luculentus autor est. Sed quid ad Autorem vos ablego, quo multi si non plurimi Vestrum destituuntur: Horatium nisi fallor omnes legistis, qui cum rapulis, quæ acria vocat, eum effectum tribuat, ut lassum stomachum pervellant, id intelligere censendus est, rapula sc. jacentem atque languentem stomachum excitare, & ut ajunt confortare. Cùm igitur febres plurimæ ex corrupto stomacho procedant, sequetur ex principiis Medicis, Horationis scillis, eis qui febribus obnoxii sunt, non inconducibile præservativum (de re medicè medice loquor) fore, si quis crebriori acrium rapulorum usui sese assuefaceret. Solet alioquin febris, vitæ sedentariæ studiis puta devotæ comes aut pedissequa esse, quod mecum expertus est, Vir de Jurisprudentia nostra optime meritus, & in dies magis merens & meriturus Nobilissimus van Eckius, cujus nitidissima verba non possum mihi temperare quin huc adscribam. *Verebar*, ait ille, cum in novissimo suo somnio poetico, Apollinem

linem apud se conspexisset, *ne molesta febris, quasi cum hoc anno aliquoties mihi* confligendum *fuit, postliminio ad me rediisset, hujusque adeo curandæ, & averruncandæ causæ, præsto esset ille Poetices simul & Medicinæ pater. Sed cum nulla adverterem catapotia, Cysteres, pulveres, nec illum tantopere his laudatum, illis damnatum, mihi certe salutarem, Chimensium corticem, aliaque instrumenta, quibus ad propulsandam febrem, aliasque humani generis pestes, usi solent illi vitæ necisque arbitri atque imperatores Medici, nullas denique viderem herbas, aut folia, præter sacram laurum, cœpi bona fide gaudere, & gratulari felicitati meæ, quod mihi nunc quidem a re medica nihil negotii futurum esset aut periculi.* Habet hoc vir Clamissimus, uti cum aliis Viris quibusdam eruditis, ita & cum Magno Erasmo Roterodamo, quem crebro febribus tentatum fuisse, in vita ejusdem legere est, commune. Talibus exemplis facile se & alius aliquis eruditionis amore illigatus, solabitur. Sed revertamur ad rapas nostras. De quarum utilitate qua humanæ sanitati præsto sunt, plura non addam, nisi ut quotidianam omnibus notam experientiam antestor. Pueris sane ipsis jam notum est, pedibus frigore attonitis, rapas ab ignis calore ferventes commodissimè in medelam applicari. Non descendam vobiscum in arenam disputatoriam, O Medicorum Patres conscripti, rapæne flatus excitant, in corpore humano, an tollant atque submoveant? Hoc interim novi, communiori patrum matrumque calculo & plebiscito, quasi eo deventum esse, flatus per uberiorem raparum usum extrudi, ceu à parentibus, ita solent vul-

go liberi edoceri, quemadmodum leges olim cum nondum in hodiernam istam immensam molem ex crevissent, à parentibus ad locum forte sedentibus atque canentibus, liberi solebant edisscere, quod jus veterum, non scriptum nisi fallor, constituebat. Et quanti Tiberium Claudium Drusum Cæsarem rapas olim fecisse existimabimus, qui edictum meditatus dicitur, quo veniam daret, flatum ventris quem visionem proprie dicunt, in convivio emittendi? namque hoc nec inutile, dixit Symmachus, & risum res movet illa simul. Non digladiabor vobiscum O Medicinæ Cultores: hoc tamen novi, celebratissimum, experientissimumque Doctorem Medicum Monasterienscm Giesen, Amplissimo Nobilissimi Doctorandi nostri nunc in cœlites transcripto Domino Parenti, cum ei febris aliquando in phthisin inclinaret, rapas in quotidianum cibum præscripsisse, huncque ad menses aliquot iisdem usum febris phthisisque pericula feliciss ime tum evasisse. Non disputabo vobiscum Medicorum filii patresque. At hoc commemini, & mihi, cùm debilior stomachus cuncta absque delectu non admitteret, rapas commendatas fuisse. O pretiosas, O amabiles iterum iterumque rapas nostras! Ast vero qui possit aliter confieri Auditores! si enim unusquisque rei, ut JCtorum canon eluet principium inspiciendum est, sane dubitari non debet, quin rapæ omnibus gratissima res sint, utpote quæ tum seruntur, cum annus à Leonis cœlestis diris rugitibus liberari, melli lisque virginis amplexibus Augusto mense illabi anhelat. Quid multis? de pretio raparum vel

ipse

ipso earum color loquitur, qui alibi argenteus, alibi terrarum aureus apparet. Forsitan ut Natura doceat, rapas auro argentoque contra caras habendas esse. Quin & aureum istum calorem æstivo tempore in gratissimo isto floris eminentioris nitore luculenter, exhibent. Sane propter raparum præstantiam, ex crediderim eum iis honorem olim exhibitum, qui in hac provincia & urbe pernis, sive petasonibus habetur ut solæ pingerentur. A pollini etiam Delphico rapum ex plumbo dicatum fuisse Plinius testatur. Sed verum pretium raparum tum percipiemus, si monita nonnulla alia vitæ ordinandæ apta à rapis deprompserimus. Imprimis, cum Seneca judice, *nulla res hominibus magis prosit quam cogitatio mortalitatis: utpote cum pectus nunquam magis divinum sit, quam cum mortalitatem suam cogitat*, ut idem alio loco, videamus an non à raparum exempto pectus nostrum mortalitatis recordatione possimus imbuere. Sane si nupero isti Pastori rurali vitam humanam cantharo cerevisia pleno comparare licuit: Vita humana, dicebat ille similis est cantharo cerevisiæ, quam ubi rusticus aliquis ab hospite nactus est, in terram juxta scamnum vel sedisse, cui rusticus ille insidet, statuit, eandemque paulatim sorbendo atque pitissando, aliquando & avida fauce liquorem illum trahendo tandem exhaurit, vacuumque hospiti sive cauponi cantharum reddit, qui istum sursum tollit, eundemque ad clavum vel paxillum suspendit, aut in superiorem aliquem asserem, aut reconditorium reponit: talis hominum vita est, quorum corpus in terram anima viribusque præditum prius colloca-

tur, deinde vero spiritibus animalibus, ita per decrementum latens, aliquando & patens, privatur atque exinanitur, ut anima hospitio corporeo exemta, in superiores mundi partes, in cœlum inquam extollatur. Liceat mihi, & quidem commodius forte, vitam humanam rapo similem pronunciare: quemadmodum enim rapæ lætis rapiciis herbisque primiter virent, deinde iisdem spoliantur tum in cellam subterraneasque foveas reconduntur, suo inde tempore iterum eximendæ, non absimili profecto modo homines primiter vigent virentque, post omni flore ipsaque adeo vita viduantur, & denique sepulchretis conduntur, ex iisdem die iterum noviſſimo evasuri Quia & quemadmodum rapa etsi maxime eadem foveas, cures, conserves: corruptioni tamen obnoxia sunt: ita & corpora humana, etsi vel centum Machaonas Podalirioſque adhibeas. Contra vim moris rapum non crescit in hortis: ut antiquum istud alterum in usus meos convertam. Quid subridetis Auditores humaniſſimi vitam nostram rapo assimilavi: certe ipsa sacra scriptura eam pano sive radio textorio & alibi umbræ, aquæ, flumini, vento, somno, vapori, fumo, & ut cætera omittam, non enti subinde comparat. Præbent nobis rapa humilitatis quoque illustre exemplum, non tantum quod fimo atque stercore egregiâ fartis agris inseri amant, sed & quod rapacia id est herbas suas non in altum valde efferant, sed humi repere malint. At mortales, mortales, qui sæpius inani tumentes superbia nimis elatos spiritus in ipsam æthram jactatis, ad locũ nativitatis vestræ non respicitis. De mulo quodã Lydo refert Plutarchus, eum in flumine suam ali-

aliquando contemplatum imaginem, pulchritudinem magnitudinemque corporis sui admiratum, ferocire & equi in morem procurrere intendisse: nox autem recordatum asini se filium esse, cursum inhibuisse, ferociamque & spiritum repressisse. Non dicam hic quæ dicere possem, istud saltem addo, hominem qui recolit parentes majoresque suos à quibus prodiit, jam dudum in pulverem redactos, aut a vermes, bufones, aliave insecta quoad corpus ceu escam puto transiisse, seque idem fatum manere, non posse fallui valde atque superbiæ deditum esse, neque, ut in loco quodã Codicis est, vento vivere: qua in parte rapa iterum monela sua succurrunt, ut pote quæ flatus secundum vulgarem supra visam sententiam, propulsant. Nec amicabilis inter concives exigendæ vitæ admonitionem rapæ nostræ nobis denegare possunt: ecce enim tibi rapas non confusis agrorum finibus vage disseminatas, sed per areolas suas, aut areas accuratè distinctas, adeo ut ipsæ fabis circum oras talium arearum satis, unicuique suum tribuant: ut adeo de rapis vindicandis nullæ hactenus lites quod sciam tribunalia nostra Academica aut civica inquietaverint, cum fabales istæ circumsitæ turmæ satis unicuique quid suum sit præscribant, ne idem velle (contra Sallustii philosophiam) summam pariat inimicitiam. Vos quoque qui cœlibatum matrimoniali fœcunditati præfertis reprehensionem vestram pace vestra dixerim in rapis invenietis, utpote cum, etsi raporum consitura ad unius duntaxat cantari sementis mensuram facta est, tamen vel sedecim sacci regulariter rapis exinde natis onerentur. At vos O cœlibes, Audite aureum istud Hadriani effatum,

fatū, dicētis, *malle se hominū adjectione quā pecuniaria copiā ampliare imperiū.* Et Ulpiani: *qui vos Reipublicæ natos esse* pronuntiat. At vero respubl. nec pacis nec belli tempore sine hominibus stare, nec Princeps sine subditis Princeps, maxime si bello impetatur, manere potest. Subditis quippe deficientibus deficiet & rerum gerendarum nervus. Ut igitur subditis repleatur civitas, matrimonio consuli potest ut huic iterum favore dotium: quæ tum iterum compensant si incommoditatis quid inest matrimonio, quanquam cogitandam ibidem simul est, nihil in mundo ab omni parte beatum esse patientia muniendum pectus est & sperandum post nubila iterum emersurum Phœbum. Enimvero quemadmodum in omni adversitate illud Poetæ: *Nemo rebus desperet meliora lapsis*: ob oculos ponendum est, ita à rapis iterum hujus rei patientiæ inquam & spei facile exemplum petemus, enimvero quæ labente Autumno seruntur rapa, ea per hiemem nivium cœlique injuriis divexata & aliquando contecta si non oppressa, æstate iterum in lætum florem, odore & colore gratissimo oculos nostros naresque mire afficientem atque exhilarantem, sese effundunt. Adeo verum est illud alterum: *Non si male nunc & olim sic erit.* Cæterum & studiosæ Juventuti specialiter sui hic patebunt usus: Enimvero, quemadmodum rapa statim tertio quortove die apparere ῥᾴδιως φαίνεται, ut supra dixi, assolenti. Ita &, ubi quid generosioris indolis atque ingenuis sanguinis apud te latet, id tu O ingenue juvenis statim facies apparere, cavebisque tibi à pestilentissimo illo maleferiatorum quorundam principio, qui primum in Academiis annum otio aut pergræcationibus & debachationibus transeundum es-

se nu-

se nugantur. Hic niger est, hunc tu Romane caveto. Quin potius, quemadmodum rapa primulum prodeuntia, nisi imbre brevi rigentur, à pulicibus terrestribus continuo suffocantur atque absumuntur, ita & tu, ô nobilissima juventus, nisi te confestim bonæ mentis rore irrigari permittis, à pulcibus terrestribus Vacunæ, Veneris, Bachive mancipia intelligo Sauffejos illos Appios Trogosque, pecus ignavum atque suillum, in perniciem facile abripieris. Difficultatem tibi prætexeat: sed ea nulla est si Justiniano obsequeris, qui levi atque simplici via Studiosum incedentem sine ulla difficultate ad studiorum perfectionem deduci posse affirmat Exemplum iterum rapæ præstant. Eæ etenim ex parvo semine in eam magnitudinem aliquando excrescunt, ut triginta & quadraginta pondo singula contineant: quin & quibusdam in locis plus quam centenas libras pendant. Ita & vos Nobilissimi atque generosissimi studentes, si elementis primum fundamentisque certis juris, missis communibus Doctorum ambagibus, tanquam operibus supererogatoriis quæ JCti non curant dextere imbuti fueritis, nihil vobis ad summum eruditionis decus deesse tandem potest: quem in finem Jurisconsultoribus digna lectu profecto præfatio est quam celeberrimus Bockelmannus compendio suo juris præfixit, qua vel sola optime de Jurisprudentia nostra meritum fuisse censeo inclutum illum Juris Sacerdotem in cujus encomia hic denuo velle digredi id verò esset extra rapas vagari. Rapæ. O egregii juvenes, uti variæ ipsa figuræ variique generis sunt, variasque in formas & utilitates ut supra dixi sumuntur: ita vos cum vobis respublica in partibus credenda proponatur, omnibus

partibus administrandis vos habiles præstate. Lepidum est quod præfatus illustris Bockelmannus solebat dicere, solium JCtum esse instar integri alicujus panni ex quo uno pallia, togæ, braccæ, tibialia, aliaque confici possent: ita & Juris Cultorem eo eruditionis debere procedere ut Advocatum, Doctorem, Professorem, Consiliarium exhibere, aliisque reip. splendidis muneribus posset defungi. Discamus raparum exemplo, quomodo ad frugem eatur. Scitis Justinianum quinque annorum stadium studio juris præscripsisse. Scilicet & pinguissimi agri quales Campania præbet, exemplum præbent in rapis. In illis enim sublecto hordeo, sequens annus milium volebat seri: tertio anno rapas: quarto hordeum vel triticum: tum demum ut ad farrei spici sationem tenderetur. Quæso videte Plinium de ea re loco supra laudato. Non sum ille superstitiosulus, ut Juris studiosos ad quinquennium abscisse alligare velim, memor. l. 31. A. de solutionib. & l. 2. C. De annali except. Illud tamen & teneo, & moneo, non omnes annos idem deposcere, cum & raparum tempus sit. Illud omnibus hominibus commune monitum est, quod Livius alicubi tradit, *puncto sæpe temporis maximarum rerum momenta verti.* Ut rapis earumque consitura quam inter duorum Numinum Vulcani & Neptuni dies festos veteres peragi volebant, veluti eodem hodie circa tempus S. Laurentio sacrum fieri assolet, hujus moniti (ut de numinis cultu taceam) memoriam possumus regredi. Vidit id Carolus ille Quintus: qui, *Ego*, dicebat, *& tempus contra duos alios.* Sed vereor, ut qui de temporis observantia loquor,

ipse

ipſe hanc monelam ſpreviſſe, utpote qui hoc feriis dicato tempore humanitatem veſtram ultra tempus debitum forſit detinui. coargui poſſim. Veniam pro laude paciſcor.

DIXI.

SEB. SIMMEL
Buchbindermeister
MÜNCHEN


GEB. SIMM
Buchbinderei
MÜNCHEN

SEB. SIMMEL
Buchbinder-Meister
MÜNCHEN

SEB. SIMM
Buchbinderei
MÜNCHE